DECRETA, AC CONSTITVTIONES SYNODALES

A' CAROLO TROCTO

FERRARIENSI, DEI, AC SEDIS

Apoſtolicæ gratia Balneoreg. Epiſcopo

IN EIVS PRIMA DIÆCESANA

Synodo coactæ, atque editæ.

SVPERIORVM PERMISSV.



ROMAE.

Ex Typographia Aloysij Zannetti. 1600.

CAROLVS TROCTVS

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS BENIGNITATE BALNEOREGII EPISCOPVS

DIOECAESIS NOSTRAE

ChristiFidelibus salutem in Domino.

PASCE Oues meas ait Dominus Iesus Christus Petro sibi in Summum Pontificem post eius admirabilem ad Cœlos ascensum electo; vt scilicet inde animo diu,noctuq.voluamus,quantum cura Pastoralis Deo ipsi sit grata;Namq; ipsemet, vt vnam tantum deperditam in huius mũdi deserto Ouem quæreret,& inueniret, aliis ferè infinitis in Cœlo relictis; hacq;reperta,gaudio per intima cordis diffuso, ad Angelos Cœli beatos,ad Deiq. filios in terra degentes,Cõgratulamini,inquit,mihi; quia ouem, quam perdiderã reperi.Imò,ò Pastoris æterni charitatem incomprehensibilem, ne ouibus suis,hominibus inquam ex limo ter-

Ioann. 20. Curæ Pastoralis pstãtia.

Luca. 15.

Pastores sunt Episcopi.

ræ creatis,terrorem, velut rigidus Paſtor, vel leuē incuteret,depoſito paſtorali habitu, in ſimilitudinem ſerui factus eſt; & quod oculus non vidit, nec auris audiuit, aut in cor hominis aſcendit, tanquam ouis obediens vſque ad mortem; mortem autem crucis deuenit; Quæ quidem miſterio non vacant; quæcumq; enim Dominus fecit, ad noſtram inſtructionem fecit. Quapropter ſuis in cęna diſcipulis; quibus eccleſię Prælatos, & Paſtores Sacroſancta Eccleſia ſuccedere fatetur, dixit, Vt ego feci, ita & vos faciatis; ſicut enim miſit me Pater, & ego mitto vos. Quocirca Petrus aliquando conuerſus ad Eccleſiæ Paſtores ait, Paſcite gregem,qui in vobis eſt. Attendamus ergo vniuerſo gregi,in quo nos poſuit ſpiritus Sanctus Epiſcopos regere Eccleſiam Dei; quam acquiſiuit Dominus ſanguine ſuo. Prouinciam fatemur arduam, atque Angelicis humeris valde oneroſam: præcipue, ſi vel ſine Paſtore, oues aliquandiu hinc inde à ſemitis cęleſtium paſcuorum; vel ferè ſine Paſtoris vigilanti præſentia aberrauerint: etenim de manibus veſtris ò Paſtores,ait Deus Zelotes,exquiram ſanguinem eorum; nō autem de manibus mercenariorum, hoc eſt, Paſtoris miniſtrorum, quorum oues non ſunt propriæ, vident enim lupum venientem, & fugiūt, Mercenarij. Lupus rapit, & deuorat oues ipſas. Quare Doctor gentium,& fidelis Dei Paſtor ouium; Quis, ait,ſcādalizatur,& ego nō vror? Quis infirmatur,& ego non infirmor? ſcilicet pro animarum & ouium mihi creditarum cuſtodia? Inſtantia mea quotidiana; omnibus omnia factus ſum, vt omnes lucrifacerem, libenter impendam, & ſuperimpendar pro animabus veſtris.

Philip. 2. *Iſaia. 53.* *Luca. 22.* *Ioann. 6.* *1. Petri. 5.* *Actor. 2.*

Negotium arduum eſt valde.

Ezechiel. 18. *Ioann. 10.* *2. Cor. 12.*

Equidem non minus ſudore aſperſus, labore fatigatus, inſtantia ſollicitus, fideles Paſtor Iacob, poſt longiſſimos Paſtoralis curæ labores dicebat, Viginti annis fui tecum, oues tuæ & capræ ſteriles non fuerunt; arie-

Geneſ. 31.

tem

tem gregis tui non comedi, nec captum à Bestia ostendi tibi; ego damnum omne reddebam, quicquid furtim peribat, à me exigebas; die, noctuq; æstu vrgebar & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis: Ecce Pastoris officium: non Mercenarij sordidum seruitium. Attamen in omnibus verum ac fidelem se debet præbere erga oues Prælatus sibi commissas Pastorem, (verbo scilicet, exemplo, & opere easpræcellere, ex Gregorio, qui ait, Actionem Populi præcedere debet actio Præsulis, quãtum distare solet à grege, vita Pastoris) easq; summo nixu à temporum iniurijs protegere; Bonus enim Pastor ponit animam suam pro ouibus suis; tunc enim fugit leo, & quam sæpissime deuictus, atque confusus remanet, qui prius rugiens & rapiens quęrebat, quam deuoraret: hoc enim in Pastore puerulo Dauide accidisse legimus, & scimus.

Pastoris officium vsque ad vitæ periculum. *Ioann. 10.* *1. Reg. 17.*

Prudenti tamen zelo duci debet nobilis Pastor: maximum enim hoc interest inter Pastorem, & oues discri men; quòd ille ratione ducitur prudenti, istę vero rationis expertes, vt plurimum videntur; terrenisq; tantum Pascuis, ac sensibilibus contentæ. Iure igitur merito Pastores erant in regione vigilantes, & custodientes vigilias noctis super Gregem suum; vt illorum Grex pascua inueniat cęlestia: Vt quasi oues in cœlo positas vita depascat eas.

Prudens sit. *Luc. 2.* *Ioann. 10.* *Psal. 48.*

Nec tamen hoc satis esse videtur, nisi diligenti Pastor speculatione inuias dirigat, titubantes consolidet, infirmas roboret, dispersas alliciat, inquietas corripiat, pusillanimes consoletur, pronas eleuet, superbas deterreat, humiles exaltet; tandemq; in virga Moysi aliquando cęlestes gratias emanante, vel diros serpentes quandoq; generante dirigat, atque regat.

Vigilans sit custodia eius. *Exod. 7.*

Verum enimuero oues Pastori subiectas esse, mente concordes, Charitate vnitas necesse est, easq; amore duci,

Ouiũ conditiones. *Amẽt Pasto.*

rem & concordes sint cũ Pastore.
1. Ioann 4.
Ioann. 10.

duci, timore secluso: perfecta enim charitas mittit foras timorem:& vt ex multis pauca complectar; Pastoris summi Domini Nostri sermonem opere compleant, Vt vnum sitis sicut Pater, & ego vnum sumus; Vos per voluntatem animorum vnanimem, vt ego & ille per naturam Personarum consubstantialium impartibilem. Et quidem Adagio satis superque experientia reperto compertum est, concordia vilissima sublimari, minima ampliari; discordiaque altissima deprimi. Quis enim ignorat, membra à capite separata, atque præcisa minime foueri, atque nutriri? Et quidẽ vos testes in hoc fide dignos; & ex maxima parte olim per damnationis solitudines errantes adiuro; grex sua ductus volitione quamdiu soliuagus errat à Pastore diuisus, nec pingui sermonis lacte, nec salutaribus exemplorum pascuis pascitur, atque nutritur; sed in se ipso vel misere moritur; vel à lupo dispergitur, atque voratur. Cognoscant igitur me Oues meæ, sicut ego cognosco eas, & audiant vocem meam necesse est; Diligamus inuicem, non verbo, neque ore, sed opere, ac veritate. O Doctrinam à cælo delapsam, cuius elementa sunt misteria; cuius syllabæ sunt arcana; cuius verba sunt sacramenta, ab animarum Pastoribus, ab ouibus ratione ductis ruminanda; diu noctuq; opere complenda.

Ioann. 10.
1. Ioann. 2.

Premium maximum.
Luca. 6.

Quibus ex omni parte peractis, quis in clarissima luce cæcutiens non videt, nostris mẽsuram bonam confertam, coagitatam, atque omnium bonorum superefluentem meritis paratam? Iam enim non spinas & Tribulos terra producet: iam hyems transijt, imber abijt, & recessit. Sponsus etenim Dilectus nobis, & nos illi, pascitur inter lilia, vbi & oues pascentur, in montibus Israel erunt pascua earum.

Genesis. 3.
Cant. 2.
Cant. 2.
Ezechiel. 34.

Quamobrem carissimi scire debetis, nos per Bona

opera

operã, quę in hac vita in Christiana Religione cõtinentur, nostrum assequi finẽ, per doctrinam, inquam Orthodoxam, Sacramentorum custodiã, Charitatem fraternam, Diuinum cultum, Humilitatem Christianam; Ecclesiæ Hyerarchicum Ordinem, horumque omnium sedulam obseruationem, diligentem operationem, perennem frequentationẽ, voluntatis Dei exhibitionem, quæ est nostra sanctificatio. Contestor Deum omnipotentem, testes mihi eritis vos amatissimi Balneoregienses, si quo minus subterfugi, quandiu vobiscum fui, vigilia, labore, contemplatione, verbo, & opere, vt vitiorum detestationem, virtutum consecutionem. ΚακοDęmonum fraudes, Angelorum illustrationes, Terrenorum vanitates, Cælestium veritates, Inferorum pænas, Cælestium perpetua præmia, toto animi nixu qu am sæpissime annunciarem, ac toto cordis affectu persuaderem vobis. Non quæsiuimus, non quærimus, quæ vestra sunt, Filij, Fratres, Amici, socij: scitis quod nullius aurum, aut vestem, aut aliud quidpiam concupiui, aut habui; quærimus vos tantum, vestrarum inquam salutem animarum.

Finis omniũ opera Christiana.

Protestatio Pastoris qui fecit quod debuit & potuit *Act. 20.*

Nihil de omnibus habuit. 1. Cor. 13. Act. 20.

Salutem animarũ tantum pretendit.

Quod facillime sortiemur, si prauas ac noxias de medio tollemus consuetudines; si conscientiæ libertates indecentes eradicabimus; si timore fugato, vestro eritis Pastori in Charitate obsequentes: hilarem enim Datorem diligit Deus.

Exequendi omnia hæc modus.

2. Cor. 9.

Quod præcipue inchoandum, prosequendum, atque perficiendum diuino ducta Spiritu, Sancta Mater Ecclesia sanctissimis Synodalium Conuentuum Constitutionibus animaduertit: quod ab ineunte orbis primordio ad Apostolorum vsque tempora, hinc ad nostra quoque sæcula, à sanctissimis Patribus, Christique Domini, eiusque successoribus compertum atque probatum

Synodorum propter hoc institutio.

batum

batum inuenimus. Idcirco tamquam filij tantæ Matris ſanctiſſimæ veſtigia ſalutaria imitantes, hanc vobis ſanctam, atque ſalutiferam Synodum indicimus, ac ſtatuimus. Sic igitur ſtate in Domino chariſſimi, gaudium noſtrum, Corona noſtra, Gloria noſtra, Gloria veſtra in Deo Patre, Filio, & Spiritu ſancto repoſita, qui benedicat vos, ac filios veſtros per infinitas ſæculorum myriadas. Amen.

Philip. 4.

EDICTVM
AD DIAECESANAM SYNODVM INTIMANDAM.

CAROLVS TROCTVS FERRARIENSIS Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Balneoregiensis omnibus, & singulis Christi Fidelibus Ciuitatis, & Diœcesis nostræ Salutem in Domino sempiternam.

SANCTORVM Patrum Decretis, & à sacrosancto Concilio Tridentino constitutum fuit, vt Synodi Diæcesanæ quot annis celebrentur; idcirco cupiẽtes nos, quantum cum Deo possumus pro muneris nostri officio exequi, Diæcesanam Synodum nostram ad diem Martis, quæ erit 16. præsentis mensis Augusti habendam decreuimus, quam ex nunc prædicto tempore celebrandam his nostris litteris indicimus. Quapropter omnes, & singulos Ciuitatis, & Diæcesis nostræ beneficia Ecclesiastica qualiacunque, etiam sine cura obtinentes, aut sacris Ordinibus initiatos, nec non omnes tam sęculares, quã regulares Clericos quocunque Iure, vel consuetudine in Diæcesana nostra Synodo interesse debentes in Domino monemus, eisdemque in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pęnis in sacris Canonibus constitutis districtè mandamus, vt ad diem dictam in habitu Cleri-

cali cũ cottis, seu superpelliceis, & biretis in Ecclesia nostra Cathedrali Sancti Donati ad Diæcesanam Synodum celebrandam personaliter, & non per Capellanum, aut Vicarium conuenire, nec inde, nisi à nobis obtenta licentia discedere debeant. Hortantes quoq. omnes Procuratores tàm ciuitatis, quàm Diçcesis pro suo, vel aliorum interesse, quatenus interesse aliquod prætendere valeant, ad interessendum; vt Deo bene iuuante, ea statuantur, quę ad morum emendationem, animarum salutem, cultusque diuini augmentum pro temporum ratione condecentia iudicabimus. Datum Balneoregij in Palatio nostro Episcopali Die 9. Augusti 1599.

Carolus Troctus Episc. Balneoreg.

Saturnus Collesantus Cancellarius de mandato.

DE

DE SYNODO DIAECESANA.

IVSSIT Sacerdotes conuenire,& omne Concilium, ſanctus Paulus Apoſtolus; idcirco ſingulis annis præſcribit ſacroſanctum Concilium Tridentinum cum ſanctis Pontificibus, & Canonibus Synodū fieri,& pro neceſſitate Eccleſiæ,ac Diæceſis omnes Clericos conuocari,vt agenda agantur, innouanda innouentur, auferenda tollantur. Qui mos,vt ſanctiſſimus, à nobis quoque omnino ſeruandus eſt, Menſe & die certo à nobis pro Eccleſiæ ac Clericorum commoditate ſingulis intimanda; ideoque ad Dei cultus cuſtodiā,ad fidelium animarum ſalutē declaranda.

Act. 22. Seſſ. 24. c. 1. de ref. & de maior. ca. Quod ſuperius. 18. q. 2. c. Abbas. c. fin. de conſtit. in 6.

Nullus igitur Clericus,ſiue Sæcularis, ſiue Regularis etiā non beneficiatus,cui à nobis Diæceſis huius aliqua animarum cura impartita eſt,vel confirmata,ſtatutis à nobis in cogenda hac ſacra Synodo temporibus abeſſe vllo pacto prçſumat, pro pœnis tum à Canonibus, tum à nobis irremiſſibiliter inferendis.

Seſſ. 24. c. 2.

Miſſa tunc in Pontificalibus celebrabitur; poſt quā ſequetur omnium Clericorum pia,atque ordinata Proceſſio,vt noſtris (licet imperfectis ex omni parte) præcibus optimus Deus maximus noſtri miſereatur,nobis parcat;& in omnem ſicut promiſit Chriſtus Dominus, inducat Spiritus ſanctus veritatē, ad illius gloriam, ad huius noſtræ Diçceſis ſanctificationem.

Intimabitur per dies quindecim, antequam celebretur, Synodus ipsa Clericorum totius Diœcesis cætus; vt quisque in sua Collegiata, vel Paræcia, pio affectu, ac prudentis religiosi discursu pijssimè consideret, si pro sancto Ecclesiæ nostræ regimine aliqua a se proponenda sunt, constituenda, vel tollenda; vt illis propositis, & attente pensatis, quæ recipienda sint, & decretanda, in ipsa Synodo definiantur.

Accedant omnes pietate Christiana, moribus sanctis; & animarum zelo imbuti: stent, audiant, & attentè considerent sacrosancta Spiritus sancti decreta; postremo quisque sanctiones cunctas ita obseruet, vt virtutum exemplar oculis omnium se manifestet.

Non ad Cauponas, aut loca indecentia, sed ad amicorum, vel consanguineorum domos diuertant; omnes enim scimus, in hac Ciuitate vel amicos, vel affines, & consanguineos naturales habere: Quod si quis illis careat, ad nos diuertat, qui paterno affectu, quoad fieri poterit, eos amplexabimur.

Hoc breui tempore, (vnica enim fortasse die sancta Synodus expedietur) curent in domo Clerici omnes, in via, & vbique adeo modestè cum omnibus, & piè se gerere, vt veri Clerici in sortem Domini vocati existimentur, & sint.

Synodi tempore statuto omnes conuocati Clerici, habitu modesto, longo, atque talari superpelliceis mundis induti, vt omnes pro consuetudine, & dignitate quieti, nec confabulationibus susurrantes, vel tumultuantes Synodalem ordinationem, sub pena à nobis statuenda, perturbent.

Clericus vnus ordine sacro constitutus Synodum ipsam voce alta ab omnibus audienda, atque distincta pronunciabit. In primis vero Nomina omnium adstantium, vt siquis deerit absque legitimo impedimento

à no-

à nobis cognoſcendo, debitâ pęnâ mulctetur. Cancellario igitur noſtro, quiſque ſtatim ac ad Vrbem hanc peruenerit, nomen proprium, & ſeipſum ſignandum offerat.

Tum vero de fidei Profeſſione decretum ex Concilio Tridentino præſcriptũ pronunciabitur: quo peracto ſtatim quiſque Clericus formula à nobis nunc præſcripta, in manibus noſtris eandem fidei Profeſſionem piẽtiſſime emittet.

Seſſ. 25. ca. 2.

Examinatores pro ordinibus pro tempore conferẽdis iuxta idem Concilium ſincera mente nec perſonas reſpicientes, ſed Dei honorem pænitus intuentes creabuntur.

Seſſ. 24. c. 18. de ref.

Completa tandem ipſa Synodo, ac Deo fauente clauſa, humiles cuncti vnanimiter ſupplicationes Deo offerentes pro tantæ veritatis Catholicæ illuſtratione gratias Deo referemus, pręcesque nouas, ad eorum quæ in ipſa Synodo continentur obſeruationem, de puro corde humiliter iniũgemus: Vtqui operatus eſt in nobis velle, operetur quoque operari, & perficere.

Phil. 2.

DE

DE PROFESSIONE FIDEI.
Caput Primum.

Hebr. 11.
Rom. 14.

SINE fide impossibile est placere Deo, quod enim non est ex fide, peccatum est: Pastoralis igitur præcipua ea debet esse sollicitudo, vt implorata Dei optimi maximi gratia, Catholica atq; orthodoxa conseruetur, augeaturque fides, atque in omnibus Christifidelibus quoad fieri potest, intemerata, vsque ad consumationem sæculi propagetur.

Ab ipsius igitur fidei Professione nō immerito hāc nostram Sacram Synodum inchoandam fore decrouimus, vt per quam labia nostra atque fidelium Deum maximum honorant, omnium pariter corda longe ab eodem minime existant.

Conc. Trid. Sess. 24. c. 12. Pij 4. constit.

Nos Sacrorum Conciliorum authoritate innixi; atque summorum Pontificum potestate suffulti, districte præcipimus, vt quisque beneficia quomodocumque & qualiacumque obtinet Ecclesiastica, vel Dignitates in Diœcesi nostra curam animarum habentes, vel illa carentes, infra duorum mensium spatium à die possessionis beneficij, vel in nostra Synodo in præsentiarum, aut in futurum celebranda, fidei catholicæ, atque orthodoxæ Professionem emittant, sub pœna ammissionis fructuum, vel eorumdem restitutionis, si illos habuerint.

In Synodo vero præsentis diei celebranda, quicumque Clerici aliquo Ecclesiastico ordine, vel etiam prima tantum Tonsura insigniti, in manibus nostris eandem fidei Professionem infrascriptam in compendio redactam emittant sub iisdem pænis præter alias à nobis infligendas.

Literas

Literas quoque, disciplinas, doctrinas quomodocũque profitentes, vt Doctorum, Ludimagistrorum, Aduocatorum, Notariorum, Philosophorum, Medicorum, Rethorum, Bibliopolorum, huic mandato obnoxios fore se sciant, sub mulcta priuationis publicè, vel priuatim exercendi eorum artes ac professiones; Curati autem inter missarum solemnia omnes curam admonendi vigilanti opere præstabunt.

Conc. Trid. Seß. 24. c. 12. de ref. Pius 4. const. 112. & Pius V. const.

Professio autem huiusmodi in publica forma adhibitis testibus & Notario emittenda est, atq; in Archiuio Episcopali asseruanda, gratisq; in publicã formã redigẽda: formula vero Professionis fidei huiusmodi erit.

Ibidem.

Ego. N. firma fide credo, & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, videlicet. Credo in vnum Deum Patrem Omnipotentem factorem Cæli, & terræ, visibilium omnium & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum Filium Dei Vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, ET HOMO FACTVS EST. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in Cælum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum Gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et Vnam Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remissionem

Fidei professionis forma. *Pius IIII. const. 114.*

peccato-

peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas,& Ecclesiasticas Traditiones,reliquasque eiusdem Ecclesiæ Obseruationes, & Constitutiones firmissime admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam vnquam nisi iuxta vnanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque Septem esse verè & propriè Sacramenta Nouæ Legis à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria; scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiam conferre,& ex his Baptismum,& Confirmationem,& Ordinem sine Sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum Sacramentorum omnium solemni administratione recipio,& admitto. Omnia & singula quæ de Peccato Originali, & de Iustificatione à SacroSancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deum verum, proprium,& propitiatorium Sacrificium pro viuis, & defunctis. Atq; in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter,& substantialiter Corpus & Sanguinem, vna cum anima,& Diuinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conuersionem totius substantiæ vini in sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationẽ appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo, Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis

iuuari;

uuari; similiter & Sanctos vnà cum Christo regnantes venerandos atque inuocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre: atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmissime assero, imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem atque venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia fuisse relictam, illarumque vsum Christiano Populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem & Magistram agnosco; Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac iuro. Cætera item omnia quæ à Sacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipue à Sacrosancta Tridentina Synodo, tradita, definita, & declarata fuerunt, indubitanter recipio & profiteor: simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo; eandem integram & inuiolatam vsque ad extremum vitæ Spiritum constantissime Deo adiuuante retinere, & confiteri, atq; à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem. N. spondeo, voueo, ac iuro. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

De Hæresi suspectis, atque Hæreticis ipsis.

Psalm. 18. Leo x. const. 1 & 2.

LEx Domini Immaculata, & inuiolata semper conseruari debet: igitur animaduertant Parochi, an in eorum subditis, quis vel nomine tantum, nedum reipsa opinione aliqua minus Catholica refertus sit; hosque illicò ad Episcopum vel Inquisitorem deferãt: Imo Populum sedulo moneant, vt huiusmodi viros verbis, aut opere de fide Ortodoxa suspectos, statim annuncient, nulla personarum, graduum, seu Magnatorum habita ratione; Oportet enim magis placere, atque obedire Deo quàm hominibus; namque Pestis huiusmodi, in alios (sicut experientia satis miserabili constat) vt Cancer serpit.

24 q. 1. c. Aduocauit. & c. seq. & q. 3. c. Clerico.

Act. 5. 2. Tim. 2.

De Bibliopolis, & Libris prohibitis.

Apoc. 22. Concil. Trid. Sess. 4. in Decret. de vsu lib. 3.

SI quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas libri huius; & si quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ; Ideo cum Bibliopolarum sæpe incuria compertum sit prauos non tantum mores, verum etiam aduersam fidei Euangelicæ doctrinam, vt Virus, fidelium animas inficere, & occidere; Impressoribus omnibus artem librariam exercentibus, de sacrorum Conciliorum potestate districtè mandamus, vt in offenso pede currant, nec absque nostra in scriptis habita licentia, Libros cuiuscunque subiecti, aut materię imprimere audeant, impressos vendere, aut in Apotecis tenere, sub pęnis à sacrorum Conciliorum Canonibus incurrendis, & alijs à nobis arbitrandis. Imo nullum amplexentur sine nomine Authorem, & in Indicibus contentum; præcipuè vero Sanctissimi D. N. Clemen-

37. Dist. per tot. 86. dist. eum multa.

Index Sãctis. D. N. Papæ Clement. 8.

tis

tis Papæ Octaui nuper editis sub eisdem pęnis, alijsq; grauissimis arbitrio Ordinarij infligendis. Indices autem cùm Bibliopolæ, tùm Impressores, tùm Clerici omnes huic nostræ Diæcesi subditi, quinimo & sæculares omnes vtriusque sexus infra dies triginta à promulgatione harum Constitutionum, omnium quos habent librorum, ad nos transmittant, sub pæna arbitrij nostri rigidissima; eosque omnes integrè, ac fideliter, nec diminutè manifestent, vt illos tantum probemus libros, qui habent scriptum nomen agni, & patris eius in frontibus eorum.

Apocal. 14.

De sacra abutentibus Scriptura.

HAbebat in fronte sua scriptum, Babylon, Meretrix magna mater fornicationum; Impium quippè est, ac detestabile, facinorosos homines, vel mulieres, vt characteribus, verbis, ac sacrosanctis Scripturarum misterijs, scientijs, labio abutentur sordido, vel ad iocum, contumeliam, superstitionem, nec non prophanos, fabulosos, vel etiam famosos libellos detorquere audeant; idcirco sciant hi se seuerissimis obnoxios esse sacrorum Conciliorum supplicijs, pręter Ordinarij pęnas iustè, ac piè, easque ingentes infligendas: de his enim Dominus amarissimè dolet: Polluerunt testamentũ meum, sanctuariũ, ac sabbata mea prophanauerunt.

Apoc. 17. 37. dist. relatum, & cap. vino.

Concil. Trid. Sess. 4. ibid. de vsu sanct. lib.

Ezech. 23.

De Iudæis, & de fide vel moribus bonis aliquo modo non benè sentientibus.

COnuersatio nostra in cælis esse debet: Ideo quoad fieri potest sanctorum morum, atque fidei Catholicæ integritas conseruanda, horumque opposita pericula, atque occasiones toto nixu deuitandæ:

Philipp. 3. Const. Pauli 4. 1566. & Pij 5. & Gregor. 13.

Non immerito igitur Iudæorum, Cingariorum, & id genus hominum, vt plurimum flagitijs, atque impietatibus deditorum cõmercium, negotiatio, cohabitatio omnino fugienda, atque vt pestis à longe, digito potius admiranda & compatienda; quippè qui blasphemijs, ac Dęmonum miserijs perpetuo inuoluti existũt. Nos igitur quasi à facie colubri fugiamus peccatum.

Ecclesiast. 21.

DE SANCTIS ECCLESIIS, ET DE HIS *quæ ad eas pertinent. Cap. II.*

Psalm. 68. Ioan. 2.

ZELVS Domus tuæ comedit me ait Dominus: Iurè igitur merito si in Ciuitatibus ad hominum vsum, Palatia, atque Aedes sumptibus & ornamentis constructas cernimus: Deo hominum factori ornatiores & pro viribus sumptuosiores Ecclesias erigere conemur, easque vndequaque cultui Diuino immaculatas, & ab omni indecentia, foris & intus omnino exẽptas, atque stabilitate vndique consolidatas eidem consecremus.

16. Dist. pulchra de consf. Distin. 1. placuit.

Nullius ergo Ecclesiæ Deo dicatæ sint parietibus continuæ, sed quasi Insulæ ab omnium domicilijs separatæ. In omnibus tectis, muris, pauimentis, statim ac defectus minimus apparet, instauratę, atque resarcitæ sint. Fenestræ orificia, vel oculi earum ad modestum lumen apertæ, & vitreis circumseptæ clarioribus, vel albis telis ceratis obclausæ, vbi Ecclesiæ redditus tenuiores sunt, perpetuo existant.

Concil. Trid. Sess. 14. decr. de ref. ca. 12. & 16. que. 1. quicunq. & de Consf. dist. 5. nemo.

Nullus tamen quisquis sit sub quouis prætextu, Tẽpla erigere, Capellas struere, Altaria fundare, vel dotare, sine expresso consensu nostro, sub pœna à sacris Canonibus statuta, inflicta, & pro nostro arbitrio infligenda, vllatenus audeat. Mensis lapideis, si fieri potest, inte-

integris super ea consecratis, tela aliqua stipata vndique opertis, ne manus profana illa pertractet, ponatur. Ligneis, saltem si non ferreis, capiantur cancellis.

Mappis tribus perpolitis cum duobus ad minus candelabris, & cruce ex auricalco super ipsa perpetuo impositis. Pallio nec scisso, nec inhonesto in facie resplẽdeat. Altaris carta secretorum cum cornicibus suis in medio scabelli semper resideat. Baldichinum saltem ex tela coloris cærulei, aut viridis, perenniter superimpositum infractum conseruetur; tum ad pulueris, tum animalium iniuriam in Sacro faciendo fugiendam, atque cuiuscunque sordis deuitandam. Bredela quoque honesta de industria Sacerdotis commoditati parata sit. Mappa insuper magna, & prima quæ videtur, nullo texta sit filo colorato, rusticale enim magis quam ciuile sapit Altare.

De Conf. dist. 1. Altaria si non.

86. Dist. non satis §. item Perfectũ vbi omnia necessaria complectitur.

Altarium latitudinem, longitudinem, & grossitiem ad exemplar a nobis præscriptũ, & pro templi capacitate, vbivis Ecclesiarum nostræ Diæcesis fieri mandamus; Altariola vero ea, quæ potius sedilia, vel scabella videntur, pænitus reprobamus.

De Consecr. distin. 1. Placuit.

Iconæ, seu Imagines Altarium, nonnisi pietatem, decentiam, sanctitatem, munditiam, ac si fieri possit, diuinitatem præseferant.

Munditia perpetua ab omni sorde in Altari resplẽdeat, tanquam Tabernaculo Omnipotentis, atque immaculati Dei in eiusdem honore consecrato: vt exiguas saltem, si non magnas pro posse reddamus Deo gratias.

42. dist. c. nulla. & ca. seq. & ib. q. 7. hoc diximus, & dist. 86. cap. pulchra.

Fenestella à cornu Epistolæ excauata, cum suo ostiolo & claui construatur ad vrceolos, missæ consecrationem, atque promptam eorundem exhibitionem.

Altaria portatilia à nobis in Diæcesis Visitatione reprobata oĩa vel renouẽtur, vel ad formã a nobis præbẽdam

dam omninò instaurentur; experientia enim compertum est, vel paruæ nimis, vel indecentia ad tantum sacramentum, penitusque ad calicis, & hostiæ capacitatem esse improportionata: atque ita sint explanata, vt nullum offensionis calicis periculum adsit. Lampades ipsæ mundæ, integræ, Diaphanæ, oleoque puro semper exardescant. Tintinnabulum, vel manu tactum, vel parieti affixum, semper in eleuatione sanctissimi Corporis Domini nostri in astantium auribus, leuiter, ac modestè personet, ad eorum animos ad tantam adorationem excitandos: & vt eorundem spiritus, & caro exultet in Deum viuum.

De cel. miss. c. per literas & ca. Perniciosus.

Psalm. 83.

Crucifixus in medio Ecclesiæ elatus, integer, honestus in Chori ingressu, decens, deuotus, piè, ac honorificentissimè perpetuo tutus, ac mundus ad venerationem existat.

Ostia insuper Ecclesiæ huiusmodi sint, vt non tantum ornatus, sed firmitas secura, pessulis, seris, & clauibus firmiter munita adeo existant, vt nocturno tempore nulli aditus esse possit.

Suggestum in loco Ecclesiæ apto dispositum, ornatum, sub quo altare non existat, & omnibus decentibus, ac necessarijs prouisum ad Concionandum, perpetuo conseruetur.

Vasa à lateribus intra Ecclesiam cum aqua benedicta, eaque ab omni immunditia expurgata semper existant; sint integra, non confusa ac perforata, sed aqua Diaphana, & aspersorio perpolito, octauo quoque die de nouo noua rebenedicatur aqua.

30. dist. Pulchra.

Imaginem vel Patroni Ecclesiæ sculptam extra Templum affixam, aut erectam vel depictam, vbi minimè reperitur, infra duos menses apponendam decernimus.

Supellectilia Altarium; vestes sacræ; ornamenta, libri,

Ibid. & dist. 100. Rationis

libri, Corporalia, Purificatoria, Sacculi corporalium, Amictus, Cinguli, Manipuli, Stolę, Planetæ, Calices, Patenę, Velum Calicis, Vrceoli, Peluicula ex christallo, vel Terra candida; Missales, Puluinaria variorum colorum pro tempore diuersa, & alia huiusmodi in omnibus Clericis, atque Ecclesijs non tantum munditię candore elucescant, sed fragranti odore redoleant conueniens est.

Colores pro temporum varietate necessarij ad communem Ecclesiæ vsum, valde attendendi sunt; ne in hilari glorię Dei candore purpureus Martyrum immisceatur mæror, vel alius pro temporis ratione improportionatus color addatur.

Ibid. dist. 100 rationes.

Hæc autem supplex quo magis operosa, diues, atque artificiosa in Dei cultum citra scandalum reperietur, eo magis ab hominibus probabitur, à Deo præmiabitur. Sint igitur Paramenta ista sacerdotalia, vel ex serico, vel paulo minus operata: vbi auro contexta esse nequeunt; ex lino, & tela indecenti cunctis omnino reiectis.

Missalia aduertant Sacerdotes omnes habere vltimo impressa; vel saltem Sanctos proxime Sanctorum à summis Pontificibus, Canonizatorum folia eos continentia, alijs Missalibus inserere, vt opportunè quæ accidunt Festa celebranda celebrentur.

Benedictione insuper Episcopali, omnia supradicta, ac Cõsecratione sciant omnes Clerici necesse esse decorata, atque sanctificata; hoc enim & docent, & præcipiunt sacrorum Canones Conciliorum, & sancta summorum Pontificum Decreta.

C. 1. de consf. Eccl. uel Al.

Lapideum, nec ligneum, sit Altare, nec supra sepulcra hominum consitum; nec Laici ita adhæreant celebranti, vt eosdem vel distrahant celebrantes; vel quouis modo infestent.

C. Altaria de de consecrat. dist. prima.

Organum

C.1. de celebr. miss.

Organum in loco Ecclesiæ proportionato dispositum, ab omni sorde ac puluere vindicatum, ac pro tẽpore clausum custodiatur, & pia solum, ac diuina in illa decantentur officia.

Campanilia ipsa ita sint ostijs bene munita, pessulis, atque seris, perpetuaque claue stipata, vt nulli detur aditus, prӕterquam cum sacristæ se offert occasio in Ecclesiæ functionibus illis vtendi, & Campanas ordinatè, ac decenter pulsandi.

Campanæ vero per Ecclesię corpus cum funibus hinc inde dispersæ Ecclesiam ipsam indecentem reddentes, & omnibus impedimento existentes pænitus amoueantur, atque in Campanili reponantur; illa tantum paruula relicta à latere ostij Sachristiæ in altũ consita, vt exitus Missæ pijs, ac deuotis signum, quatuor vel quinque leuibus ictibus notificet.

Candelabra magna duo, arte, & tornatili ligno elaborata, auro, atque coloribus intexta, pro Ecclesię, & diuitiarum qualitate, ad intorticia eleuationis Corporis Domini nostri coaptari, & erigi conuenientissimum est; hæcque in Altaris Maioris lateribus consita, atque eleuata sint.

Supradicta omnia ac singula quoque seorsim sumpta infra duos menses proximè futuros nisi omni ex parte expleta reperiemus, præter pęnas à sacris Concilijs, ac Canonibus statutas, alijs subiacere se norint (nulla sub quouis prætextu, ac colore allata excusatione) pro nostro arbitrio seuerissimis, omnes, qui aliquo titulo ad Ecclesiarum, vel Altarium munditiã, ornatum, atque reparationem tenentur: vt quod meretur omni ex parte, & quam decet Templum Dei sanctitudo, impartiamur & nos, pro viribus, sanctificationis obsequium.

Psalm. 92.

De

De Sepulturis.

CORpora eorum in pace sepulta sunt, & viuent nomina eorum in æternum. Ideo sacrosancta Ecclesiæ vsus obtinuit, intra Templa, vel Cæmeteria defunctorum cadauera condi debere.

Ecclef. 44.

Sint igitur Sepulturæ opere modesto elaboratę, ne potius Gentiles redoleant, quam Christicolas sapiant.

13. q. 2. Animæ.

Obturata præcipue sint ita eorum marmora, atque bitumine tenaci compacta, vt nec rimula visui appareat, nec fœtor vel minimus inde euaporet.

Forma pro ratione Ecclesiæ in eis maximè decenti seruetur, ordine inter ipsa seruato; & lineis, si fieri possset, parallelis de industria disposito.

In superficie eorum, neque imago Sancti alicuius, neque Crucis vexillum vsquam affigatur, vel exprimatur; ne pulueris, cæni, sputi, sordibus inquinetur, aut adstantium pedibus conculcetur.

Literæ, seu Epitaphia magis pietatem redoleant Christianam, quàm curiosam sapiant disciplinam, vel mundi prophanam vanitatem præseferant.

13. q. 2. Cum grauia.

Sepulchra, quæ non ex marmore, vel petra solida sunt, nisi infra mensis spatium bene stipata, tecta, & decenti ornatu consita reperientur, terra repleantur, solo adæquentur, nec imposterum quis in illis sepeliatur.

Inconfessus, nec sanctissimo Eucharistiæ Viatico in sui morte, aut in Paschate munitus, & sine christianæ fidei signo decessus, nullo modo in Ecclesia, aut Cæmeterijs sepeliatur. Imo tanquam ab Ecclesia interdictus, adeo procul proijciatur, vt ne psallentium quidem voces in Choro à viuis audiri queant: minus

Clem. 1. de sepult. & 24. q. 2. cap. 2.

C. 15. cui de sent. exc. in 6

igitur excommunicatus publicè ſepulchro gaudere poteſt. Nec alij multi, de quibus in Canonibus, vt Pagani, Hęretici, Iudæi, Homicidæ ſuimet.

Nullus ſepeliatur defunctus, niſi adhibita matura temporis diſtantia ab animæ expiratione; Ideo ſingulorum ratio defunctorum habeatur, videlicet, Iuuenũ, Senum, mulierum, præcipue prægnantium, ne vt olim maxima animi pietate audiuimus, quis ob morbum in aliquem paroſiſmum incidens, pro mortuo viuus ſepeliatur, & inde miſerabiliter reuiuiſcens, impatientia ductus de facili damnetur.

C. 1. de ſepul.

Cadauera iam humata caueat ne quis excauet, aut ſurripiat, ſub pæna excommunicationis, iuxta Canonum decreta inflicta, & alia pro arbitrio Ordinarij imponenda.

Pius Quart. Pius v. conſt. 1. 13 q. 2. ca. Præcipiendũ.

Solum eminentia, ne impediant Eccleſię miniſteria, aut fidelium inceſſus, & ſtatus, amoueantur, nec niſi tribus palmis procul ab Altaris Brædela ſtruantur, ex Decretis Sanctorum Pontificum iam emiſſis; Quæ ſuperant Altaria ipſa, vel à lateribus exiſtunt, prorſus auferantur: & tandem ita ſint diſpoſita defunctorum Sepulchra, vt in ſuffragijs gaudeant vehementer, cum inuenerint Sepulchrum.

Iob. 3.

De Cæmeterijs.

Ezech. 10. 12. q. 2. c. Nullus. ca. Nemo de conſec. diſ. 1. & 13. q. 1. cap. 1.

Atrium repletum eſt ſplendore gloriæ Dei; Parietibus circumſepta, ac cuſtodita omnia ſint Cæmeteria; ne ferarum more Chriſtianorum corpora ſepeliantur, nec ante eorum benedictionem quis in eis ſepeliatur.

Machab. 4.

Crux in eorum medio, ex aliqua ſolida, & durabili materia perpetuo erecta ſit, nec arbores, vepres, viridaria vllo modo in ipſis plantentur, euellantur, aut

ponan-

ponantur: à Cœmeterijs quoque lignorum strues, cæmentorum, aut lapidum aceruus, fœni, aut pabuli repositus, vel Armentorum stabula, & quidquid profanum existit, procul omnino remaneat.

C. fin. de custod. Euch.

Ostium porrò securitate vtrobique firmum, nec nisi ad Christianorum sepulchra vllatenus fabricatum ad aperiatur.

Feretra, Candelabra ferrea grandiora, Schalæ, Sustentacula crucum, Vasa, atque instrumenta grandia in corpore Ecclesiæ indecenter existentia separatum prorsus habeant locum.

Negotia nulla, merces, comessationes, ludi ambulatus, Dormitiones, aut quid prophanum in Cœmeterijs quouis prætextu exerceatur, sub pœna à sacris Pontificum Constitutionibus seuerissimè irroganda, vt ritè possimus dicere; Adoramus Dominum in Atrio sancto eius.

Concil. Trid. Sess. 2. c. decet de immũ. Eccl. ca. cum decorem deus ta & honest. cler. & dist. 44. per totum Psalm. 28.

De Exequijs, & Funeribus.

Job 19.

Misereminii mei saltem vos amici mei, clamant animæ defunctorum à caris corporibus separatæ; Ideo impium sane est, & pietate Christiana alienũ, spiritualia Ecclesiæ catholicæ opera in pactum reducere: Quare districtè mandamus sub pœnis arbitrio nostro infligendis, ne quisquis sit in posterum pro Exequijs ac Anniuersarijs pacto aliquem extorquere attẽtet; cum potius sic lætari, quàm de morte proximi lugere videatur. Pauperes ergo, & qui facultates ad sepulchrum non habent, in Parochia sua Curati, & Clerici gratis deinceps sepeliant.

C. Absolutũ de sepult.

Mulieres ipsæ nullo colore, aut prætextu suorum corpora defunctorum associare nusquam ad Ecclesiam sibi persuadeant; cum potius ex eorum infirmitate ni-

mio profusæ dolore, lachrimis, ac stridore cuncta confundant, atque magis desperationem præseferant, quã Domini pietatem implorent; sub pœnis à nobis vt supra infligendis.

Nocte, idest, post Solis occasum, nullus seu Curatus, seu Clericus, seu Sæcularis tentet ad Ecclesiam cadauera deferre, ob scandala olim euidenter comperta.

Anniuersaria Christianorum defunctorum, vel funerales Exequias celebrandas in quacunque Ecclesia, Clerici, & Parochi populos Dominica præcedenti admoneant; vt suis orationibus, ac suffragijs assistendo suorum animas consolentur, atque deuotionis affectu, & effectu eisdem suffragentur.

Pompa fastum Gentilem redolente caueant Christiani, ne quod insensatis offerunt cadaueribus, subtrahant animabus in locis fortè miserabilibus detentis; moderato igitur ornatu quisque sit contentus, ne pietatem afferre ostendens, impium se manifestet.

Capsa pro funerali magna fiat, vt panno operta maiori, hocque nigro, atque humi hinc inde strato, nobile appareat mortorium, & suis cornicibus coaptatum; vt faces, luminaria, & candelabra superimposita, pro qualitate cuiusque Ecclesiam decorare possint; & defunctum ipsum consolari in pio amicorum huc conuolantium affectu.

Et vt rixæ olim excitatæ extinguantur, decernimus in posterum, quotquot Intorticia pro defuncti funere accensa erunt, & in eius seruitio delatæ ceræ, habeantur pro accensis, ita ceræ omnes huc delatæ, ac residua omnia Ecclesiæ, in qua defunctus sepeliri debet, penitus remaneant, & sint: excepta Misericordiæ Societate, quæ suum de iusto more Intorticium habere debet, de manu Curati, vel altera Societate, cui incumbat onus deferendi, ac forte sepeliendi mortuos.

Quarta

Quarta Funeralis posthac integro iure persoluatur Cathedrali, seu Parochiali Ecclesiæ iuxta decretum Concilij Tridentini, non obstante &c.

Concil. Trid. Sess. 25. c. 13. de ref. 12. q. 2. Qui oblationes.

Pro defunctis Clericis, & Sacerdotibus, (in tempore non Paschali, nec lectionum nouem impedito) prima die Mensis Missa defunctorum celebret Cathedralis nostra, & Collegiatę Diœcesis omnes.

Missal nouì rubric.

Episcoporum Antecessorum nostrorum immediatè post diem Commemorationis Defunctorum omnium Anniuersaria perpetuò celebrabuntur.

Pro Episcopo nouissimè decesso Anniuersaria quotannis pientissimè celebrentur;

Circa munera omnia, Anniuersaria, vt etiam Officia, Missas, & pias Ecclesię functiones, diligentes sint cunctæ Ecclesiæ, circa Benefactores, Dotatores, vel Ecclesiarum, Altarium, & aliorum bonorum collatores: ne eorum intentio, ac anima debitis fraudetur obsequijs, vt piè admonet sacrosanctum Concilium Tridétinum.

Sess. 25. de ref. cap. 4.

Omnia supradicta, vel eorum singula omittétes, vel contra illa operantes, nostrę rigorosę subijcientur punitioni: ne doleant miseræ fratrum nostrorum animę clamantes: Obsecro vt miserearis animę meæ.

4. Reg. 1.

De Sacellis.

Domum meam fecistis speluncam Latronum; iure igitur merito Capellæ paruæ, seu Sacella in compitis viarum, vel alicubi constructa, si in eis non celebretur, vel clausa semper maneant, ne ad prophana aditus detur; & Imagine Sancti, cuius est Dominorum deuotio, decoretur; quæ vero ad scandalum, vel prophana cum periculo erecta sunt, pænitus destruantur, & pręcipuè illa, quę in Criptis, siluis, & nemori-

Matth. 21.

De Consf. dist. 1. Placuit.

bus

Clemens VI. Const. 34. de Consecr. di. 1. Nullus Presb.

bus inuijs constructa sunt, omnino deuastentur; Nec quis deinceps huiusmodi Sacella struere sine nostra in scriptis licentia vllatenus audeat, sciens ad nostrum arbitrium iustè se fore puniendum; Ne in templo Dei sit abominatio desolationis.

Dan. 11.

DE CHORO, HORIS CANONICIS, ET *Cantu. Cap. III.*

Colos. 3.

SITIS in Hymnis, & Canticis spiritualibus commonentes vosmetipsos: Quod in Choro ad hoc in Ecclesijs instituto, videlicet ad Dei cultum, eiusq; Canticos spiritualiter decantandos apparet; sitque locus in alto decenter positus, vt à populo eorum deuotio intueri, atque audiri possit.

Conc. Tri dec. Sess 24. c. 12. ca. Ecclesiast. dist. 11.

Clerici igitur omnes, Canonici, atque Beneficiati, & in dignitate constituti tum in nostra Cathedrali, tũ in Collegiatis totius nostrę Diæcesis Ecclesijs ad diuina officia, ac campana hora congruenti vocati, ad templa se trãsferre minimè differant, ac debita Officia diuina cum maxima animi deuotione, corporisque compositione persoluant. Per se ipsos, nec per substitutos vllo modo propria, ac debita munera exhibere procurent: Clamores, sæculariumque risus, actiones, prophana Colloquia, Choræas, ac Tripudia pęnitus tollant.

Const. Vrbani 5. & Eug. 4. Conc. Tri dec. Sess. 22. de celebr. miss. c. in relig. dis. 3. de cons c. pernic. de celeb. miss. ca. dol. de celebr. miss.

Superpelliceis induti, biretis, non pileis, minusuè chirotecis induti, atque ornati honestos ac modestos se omnibus exhibeant, nec vbi adstantium oculis Chorus est adapertus, audeat prius in ipsomet Choro superpelliceum exuere, aut induere; sed ob decentiam in Sacristia hoc fieri decens est.

L. nemo Apo.

Assurgant, sedeant, stent, discedant simul, ordine

Eccle-

Ecclesiastico, ac vniformi pro tempore oportuno, pro psallendi, & tacendi necessitate.

cap. de sacro sancto Eccle. Conc. Tridēt. Sess. 24 de re. ca. 12. de cel. miss cap. 9.

Proferant, & psallant verba, ac diuini cantus misteria, & officia vocibus alternis distinctis, lenibus, atque vt moris est, Christiana pietate redolentibus.

In Plateis ante Ecclesiam statutis tripudia, ac plebeorum prophanos Conuentus, rusticalesque clamores seduli arceant.

Officium pro tempore occurrens iuxta Pij Quinti sanctiones denuo reformatum, Beatæ Mariæ Virginis, Defunctorum, Gradualium, Pœnitentialium, in Ecclesijs, & Choro pro téporis opportunitate obseruent, vt scilicet fleant cum flentibus, & gaudeant cum gaudentibus; Ideo in Hebdomada sancta, Tempore Quadragesimę, atque Aduentu Domini nostri se hymnis, atque actionibus ita accommodent, vt verè Christicolæ appareant, & sint.

Pij V. const. 125.

Litanię perpetuo in Ecclesijs omnibus nostræ Diæcesis, id est Cathedrali, Collegiatis, ac Curatis decantabuntur, videlicet, de ChristoDomino cūctis Dominicis diebus; Sabbato vero de Beata séperq; Virgine Maria Domini nostri Genitrice: & Feria quinta perpetuo hortamur in Domino, post Conuentualis Missę celebrationem ad Dei gratias ingentes implorādas: hoc enim sacrosanctum Concilium Tridentinum illo durante obseruasse legimus.

Sess 2. dec. de modo viuēdi.

Nullus Sacerdos ab Ecclesijs proprijs recedens, maximè diebus festiuis ad alias accedat, antequam debitas persoluerit diuinorum Officiorum per se ipsum functiones.

Dominicis autem totius anni diebus, atque alijs ex præcepto Ecclesiæ Festis institutis, aut consuetudine, vel deuotione à Diæcesi nostra obseruatis sciat quisq; Sacerdos se ad celebrandum fore obligatum, & ad Ec-

Con. Trid. & 23. ca. 14. & Sess. 2. dec. de modo viuēdi

clesiæ

clesię suæ functiones deuinctum, cum omnibus Clericis, & pueris Ecclesię seruientibus sub Ordinarij pæna seuera mulctandis, nisi euidens impedimentum obstet.

De Consf. dist. 5. Conuenit & duob. cap. sequent.

Et vt confusa, præceps, ac indeuota Missarum decantarum, & ad Vesperas celebratarum, Horarumque aliarum celebratio arceatur, nec tantum Hebdomadarij commoditatem propriã, sed Populi quoque vtilitatem respiciant; districtè mandamus, Missas decantatas Hyemis tempore, non ante decimam septimam diei horam decantari, (excepta Concionis occasione) Aestate vero duodecima hora; ad Vesperas pariter in Hyeme non ante vigesimam horam; Aestate non ante decimam nonam fiat decantatio; sub pęnis à nobis toti Capitulo, hisque maximis infligendis.

Hic autem adamussim obseruandum est, ne peior confusio intonando Antiphonas & Psalmos oriatur; Idcirco decernimus diebus Festiuis, vbi Horę decantantur diuinæ, vt Hebdomadarius initium Antiphonæ primæ solus intonet, itidem & psalmi; deinceps vero alternatim quisque in suo cornu prosequatur cantum, absque eo quod vnum aliud confundat cornu; ordine deinceps seruato per gradus, cæteri Antiphonas & Psalmos intonent; Diebus vero ferialibus idem Hebdomadarius Antiphonam tantum incipiat; post quem statim cornu ex aduerso oppositum prosequatur Psalmum, vel incipiat; Initium vero, (vt omnis tollatur confusio) Psalmi antiquior, vel in loco honoratior principium dabit, & reliqui in eodem cornu residentes, cum eo eundem sequantur; Atque finito hic versiculo, alterum cornu, secundum sequatur; semperque dictus ordo seruetur in proprijs alternatiuis.

Hic indecentiam confusam tollat omnino dignior in Choro existens, idque in omnibus quoque Collegiatis

giatis obseruari districtè præcipimus, cui omnes in Choro parere debeant, vt & in cęteris cunctis Ecclesię functionibus.

Candelæ semper ex cera alba (pręter Mortuorum, & Passionis Domini tempora) quatuor, trium saltem vnciarum pro qualibet in Officijs solemnibus ardeant in Altari Magno in Cathedrali, & Collegiatis Diæcesis nostræ, pręcipuè Festiuis diebus, vbi solemnes in Ecclesia horarum, ac diuinorum cantu exercentur Officiorũ functiones. In priuatis autẽ Officijs, ac Missis, atque ferialibus diebus, duabus eiusdem speciei candelis contenti sumus; idq; intelligendum sit in omnibus diuinorum Officiorum Horis, ac singulis in choro decantatis. Semper enim ignis in Altare debet ardere.

Lampadarium in eiusdem solemnioribus diebus, ac functionibus diuinis cum omnibus lampadibus accensum eluceat; in ferialibus autem atque priuatis, vnica vel altera sufficere lampas poterit.

De celeb. miss. c. per litteras & cap. ...

Vt pariter terribilis, ac monstruosa vocũ dissonãtia, quæ sępius in Choro cũ maximo loci dedecore, Ecclesiæ indecẽtia, ac animorũ tedio vlulãdo auditur, quoad fieri potest, auferatur: infra tres menses, Clerici omnes tam adulti, quam pueri Ecclesię inseruientes, omnesque Parochi nostrę Diœcesis, Cantui Firmo diligenter intendant, sub pęna à nobis non mediocri infligenda, hoc decretũ non obseruanti, vel si senibus hoc incõmodũ sit, pueros hoc diligenter exequi procurent. In Titularium Patronorum Ecclesiarum Diœcesis nostrę solemnitatibus, eorum memoria cum Officio, & Missarum celebratione per totam Octauam celebretur; Vt quorum animas veneramur in Cælis, eorum intercessionibus gaudeamus in terris.

Obedientiam totalem meminerint præstare Clerici maiores,

Conc. Trid.

Seff. 23. de sacrâ ord. c. 11.

maiores, ac minores, Sacerdotes, Dignitates, nec non & pueri Ecclesię inseruientes Cęremoniarum Magistro in omnibus, in quibus circa diuina obsequia admonebuntur: in his enim eidem Cæremoniarum Magistro obsequentissimus est Summus quoque Pontifex; vt Babilonica confusio in Dei templo nusquam appareat, sed spiritalis elucescat Hierarchicus ordo, & hoc transgredientes, toties, quoties, non leui pæna illicò mulctabuntur.

Conci. Later. & de cel. miss. cap. 1.

Constit. 238.

Clericus quicunque ad Horas recitandas Canonicas obligatus, sciat, si post menses sex Beneficiatus officium diuinum omiserit, ex Leone x. fructus suos non facere, & perceptos restituere debere; qui verò nullũ obtinent beneficium, & ad horas, vel Officium diuinũ tenentur, (nisi impedimento legitimo id facere nequeant) ex Pij v. constitutione maximam pænam incurrunt, præter alias à nobis vtrisque infligendas.

Breuiarium, seu Diurnum pro temporis opportunitate, nulli pigeat in Choro, & dextera manu apprehẽsum, & apertum Psalmos, orationes, lectiones, & quę recitari solent, retinere, ne memorię lapsus inter omnes confusionem pariat, tanto loco penitus indecorã.

Pius Papa v. Const. n. 38. & Leo x. constitut 11.

Officium Beatę Virginis, septem Psalmorum Pęnitentialium, atque Gradualium, cum Officio Defunctorum, meminerint omnes Clerici in Choro iuxta Pij v. Constitutionem, (citra impedimentum, & rationabiles occupationes) simul recitare, maximę enim à Sanctissimo Pontifice hęc piè obeuntibus elargiuntur Indulgentiæ.

Antiphonas Missalis, Breuiarium, & omnium librorum Ecclesiasticorum pro sacris Templi functionibus, nouiter impressas, omnes precamur in Domino sępius attente legere, ac memorię mandare, vt in diuinorũ Officijs illos oculis non cernamus indecentes actus,

quos

quos imaginatio sola horret, atque refugit; sed vt deuotè orantes, piè, & vt fas est, religiosè, Quęcunque in oratione petieritis, credentes accipiatis.

1. Ioan. 5.

De Sacristia.

DOminus Deus ad oblationes Ouium, & Taurorũ omnimodam requirebat munditiam, vnde in Atrio Templi iussit fieri, & esse Labium æneum, seu Piscinam hinc inde speculis refertam ad lotionem brutorum; quantò igitur magis vbi in sui honorem Sacra custodiuntur suppellectilia?

Genes. 18.

Parietes igitur huius loci Sancti, ostiaque sint benè munita, atque vndequaque fortia, ne alicui Sicario detur aditus ad aliquod patrandum sacrilegium.

De Conf. dist. 1. Placuit.

Pauimenta cum suis sedilibus, atque altioribus fenestris ritè disposita, ordinata, ac illuminata, precipuè vero ab omni puluere, aranearum telis vbique perpetuo mundata.

Ibidem.

Mensa, vel Altare adsit cum Tobalea munda pro Sacerdotum, & ministrorum vestimentis induendis, Calicibus propinandis, ac Missalibus, & omnibus cultui diuino dicatis misterijs, promptè, ac deuotè offerendis: super hoc Imago Crucis, vel Sancti semper resideat.

42 dist. c. Nulla & c. sequ. 16. q. 7. hoc diximus.

Armaria compacta, clausa, atque ordinata pro vestium, Calicum, Vasorum, Crucum, Candelabrorum, atque instrumentorum aliorum tuta, & perpolita custodia suis coaptentur locis.

De Conf. dist. 1. Vestimenta

Vasa cum Aqua munda, & suis manutergijs in angulo aliquo accommodata ad manus abstergendas semper parata sint, atque munda, neque ad alium vsũ vllatenus irrogata, nec vllus, exceptis Sacerdotibus, audeat ab ipsis manutergijs vllo modo abstergi, & mũdari.

86. dist. Pulchra. & de custodia sacror. cap. 2.

1.q.1. Monaster. & c. seq.

Oratorium in aliqua parte Sacristię Imaginibus Sanctorum decoratum, & in decenti loco dispositum quasi primum ingressum Domini templũ, sit religiosè coaptatum; vt Sacerdos sacrum facturus, se aliquandiu colligens, & recipiens meditetur ad quantum se parare debeat opus, ministerium, atque misterium.

Ibidem.

Confessionale hic, vel in aliquo huius loci angulo coaptatum, nec impediens, perpetuo adsit; vt si necessitas vrgeat, possit celebrans ante sacrum faciendum sua confiteri peccata.

De Consf. dist. Aquam.

Vasculum quoque cum aqua benedicta vel intra Sacristiæ portam, vel extra à latere exitus consitum semper adsit: vt Sacerdos hac aspersus, & Crucis signo munitus, in Deum, & tantum Sacramentum peragendum mente eleuata possit, & reliquias peccatorum leues abstergere, & contritionis feruorem excitare.

41. Dist. Parsimoniam.

Aduertant autem Curati, & Ecclesiæ omnes in loco salubri, & disposito ita Sacristias struere, vt ab omni immunditia, humiditate, corruptione, penitus vindicatæ sint, sed omnia (vt Domum Dei decet sanctitudo) in Dei honorem Instrumenta ritè conseruata sint.

Psalm. 92.

Tabella super Altare, vbi vestientur Sacerdotes, cum orationibus, & alijs pro Sacro necessarijs semper adsit.

Alia Sacerdotum, & aliorum pro serie, & gradu in ordinibus insignitorum.

12.q.1.c. Qui obligationes, & de Con. di. 1. c. nõ mediocr.

Benefactorum alia Tabella, vt sit memoria eorum pro gratitudine, ac Beneficiorum pia remuneratione pro singulis Missis, ac Officijs diuinis singulis diebus, hebdomadibus, mensibus celebrandis.

Indulgentiarum Tabella alia; Item & alia Reliquiarum, vbi vtrunque sciri possit.

Bulla in Cæna Domini, & Casus Domino Papæ, nobisque reseruatos continens alia Tabella.

Tabellæ

Tabellæ aliæ, seu cartæ, in quibus Ecclesiæ Cæremoniæ, præcipuè circa Missæ celebrationem, præparationem, ac obseruationem penitus, hic semper præ oculis assistant.

Omnia supradicta sub pæna ad arbitrium nostrum valde rigida negligentibus infligenda penitus exequãtur; Quia terribilis est locus iste, in quo nihil est aliud, nisi domus Dei. *Genes. 28.*

De Sacrario.

ERexerunt Sacrarium in loco suo, & offerebant Hostias holocaustomata Domino matutina; quamobrem Sacrarium omnes Curati maximè curent in Cathedrali, Collegiatis, & alijs Ecclesijs habere duplex, scilicet alterum Baptisterio iunctum: alterum vero vel subtus Altare Maius, si commodè fieri possit, ob multos Ecclesiæ vsus, qui accidere solent; vel in pariete effossum, & clausum. *3. Esdr. 5.*

Ex marmore præcipuè in horum Ostio, cum Fenestella claue, & sera bene munita, Foramen sit quadratum, & capax pro materierum deijciendarum immissione: Aquęductum vero sit ritè excauatum, & profundum cum cisterna in parte inferiori effossa, vt & lotiones exsiccare possit, & combustas recipere materias.

Hic deponenda sunt omnium cum maxima diligentia Corporalium, & vasorum, ac supellectilium Ecclesiarum lotiones; Ne transeant bestiæ saltus, & conculcent illas. *De cons. dist. 4. omni praes- bit. & dist. 2. nemo per im. cum seq. 4. & 4. Reg. 14.*

DE

DE ECCLESIÆ, ET TEMPLI DEI *immunitate, atq; honore, & reuerentia eidem seruanda, deque in illis prohibendis.*

Caput Quartum.

Ioan. 2.

AVFERTE ista hinc; Ideo honestissima, licita, ac necessaria propemodum sacrificijs Templo, cum ementibus, & vendentibus eiecit Dominus? quid igitur si prophanas & inhonestas, morumque deformitates atque abominationes inueniret?

Concil. Trid. Sess. 22. de decret. de obser. in celeb. miss. & Bulla Pij v. 5. const. anno 1566. & Sess. 25. decr. & ref. cap. 4. Trid. Conc.

Caueant ergo tam Clerici, quam Seculares vtriusque sexus, ne Choreas, Tripudia, commessationes, compotationes, clamores, strepitus, deambulationes, eruptiones, venditiones, spectacula, larnas, vel quid publicum, ac minus decens, nec etiam cantus prophanos in Dei Templo nostrę Diœcesis vllatenus attentent.

Merces quoque, ligna, fructus, vel vtensilia nulla, Minus vero arma, tormenta bellica, & iacula, vel hastilia tela in ijsdem reponantur, nè cum humiliter fideles veniam petere pro delictis contra Deum patratis debeant, potius Templum Dei obsidere videantur: nullaque ex dictis saltem procul ab Ecclesijs, per quadraginta passus fiant.

Trid. ibidem

Scurrilia verba, actus indecentes, nedum inhonestos, pręcipuè cum mulieribus, vel suspectis, vel castis ne quis pręsumat exercere: in his enim omnibus supra

Pius v. vt supra.

dictis pręter sacrorū Conciliorū, mulctas, ac Pontificū pænas inflictas; sciant omnes districtè à nobis pro arbitrio se fore puniendos; Atque eò magis per rixas, io-

cos,

cos, iurgia quomodolibet tentata; nec etiam in Sacri
stia, aut Cæmeterijs: vltra enim prędictas sub alijs se-
uerissimis pęnis mulctabuntur.

Vendere igitur nec Candelas ad vsum Ecclesię in
Templo liceat.

Pauperes, & mendicantes, dum sacra celebrantur
misteria, nec per Ecclesiam vagentur, sed extra illam,
vel saltem propè illam modestè, ac tacitè quiescant.

Dum vero Horę diuinę, ac Missæ in Choro, & Eccle
sia celebrantur, vigilantes sint, tum Sacristę, tum etiam
Seculares, ne in platea, vel per quadraginta passus ante
fores Ecclesię [illegible] ludus clamoro-
sus, vel etiam illicitus, [illegible]
[illegible] Cu-
rię nostrę ministris huiusmodi in Ecclesię [illegible]
[illegible] & pro ar-
bitrio nostro grauissimis pęnis puniri.

Curati & Sacristę in omnibus supradictis inuigilent
sedulò, [illegible] prohibentes, quę hic manda-
mus, & pari pęna puniendi [illegible]
pro arbitrio nostro grauissimè plectentur.

Intra Cancellos Cappellarum, Altarium, vel Cho
ri, nullus audeat Secularis vir, puer, aut mulier se in-
tromittere, sed extra Cancellos suum quisque mode-
ste ordinate, deuote, ac humiliter locum obtineat, ne
misteria, vel ad minimum turbentur diuina, sub pęna,
vt in prędictis Concilijs, & Bullis, tum Clericis, tum
Secularibus infligenda.

Sedilia hominum, Magistratus, atque Priuilegiato
rum ita disposita, & custodita, vt quisque suum pro
honore sibi debito agnoscat, & possideat locum, seclu
sa illorum indecenti Populorum mixtione, vbi Nobi-
les cum rusticis, Magistratus cum plebibus, Viri cum
mulieribus indecentissimè quam sępissimè cernimus.

Conc. Tridēt, vt hic supra.

Conc. Tridēt. Sess. 22. decr. de obs. in celebr. miss.

Pius v. ibid. vt supra.

Ad sedilia Mulierum in loco à nobis disponendo, & assignando in Cathedrali pręcipuè, & Collegiatis Ecclesijs, & ad formam à nobis præscribendam parati sint omnes, sub pęna priuationis locorum in templo obtentorum, & sedilium extra Ecclesiam amotione: sic enim strepitosa Calceamata Mulierum auferri tantū posse duximus, eaque à sedilibus, & hominum conuentu prorsus separata.

Illa vero marmorea, vel lignea sediliola, quę Ecclesiam impediunt, ac deturpant, penitus auferantur.

Post dimidiam noctis horam, Mulier nulla reperiri audeat in Ecclesia sub pęna decem aureorum, & alijs pro nostro arbitrio assignandis.

1. Cor. 11. in Pap.

Mulieres pręcipuè, vt ait Apostolus, velato capite intrent Ecclesiam Dei; quod etiam Linus Papa decreto sanciuit, sicut & viri cappa vestiti Ecclesiam Dei quammodestissime intrent, ne libertatem custicalem diuinę adaptemus religioni.

Ca. definiuit 17. q. 44. & const. varia. Pij v. & Six. Quinti.

Sęcularis Potestas, atque Iudicum Iurisdictio districtè caueat, ne in sacrosanctas Canonum sanctiones, ac summorum Pontificum Constitutiones pręcipites incurrant in facinorosis delinquentibus ab Ecclesię immunitate auellendis; Idcirco non incongruum erit in huiusmodi accidentibus Ecclesię Ordinarium, seu Superiorem consulere, & piè, iustè, ac prudenter cuncta simul pacificè decernere.

Et demum libera gaudeat Ecclesia Dei immunitate, atque ab omni pęnitus indecentia vindicata; Dominus enim est in Templo sancto suo.

Psalm. 10.

Caput Quintum.

VADE, lauare septies in Iordane: Quod à Sanctis Patribus, & Concilijs figuratè per Sacraméta septem Ecclesiæ sanctæ à Christo Domino, & ad animas nostras sanctificandas tanquam gratię instrumenta ex opere operato instituta fuisse nemo ambigit fide sancta, vera, ac Catholica imbutus; Ideo horum ritus, cæremonias ab Ecclesia Catholica sancitas, & obseruatas, omni studio pietate, ac religione pertractare necessum est, ex Tridentino Concilio. Hinc enim omne peccatorum, & morbi venenum, quasi per sanctissimas Antidotus, tollitur. *4. Reg. 5.* *Sess. 24. ca. 2. de ref.*

Cathechismum igitur Romanum præ oculis, ac manibus semper habeant Clerici, atque Curati omnes, nec non Rituale Sacramentorum, vt in quolibet casu ti sanctos conseruent Ecclesię ritus, superstitiosos, atque vanos, & indecentes tollant abusus. *Catech. Rom.* *Trid. ibidem*

In ministratione horum, habitu semper Clericali cum Stola, & superpelliceo incedant. *49. Dist. Clericus.*

Explicent autem diligenter vsum, atque horum efficaciam quam sæpe Curati Populis ipsis, vt propriam morbo medicinam applicent salutarem. *Sess. ead.*

Gratis super omnia omnibus exhibentes, quæ tanta gratis receperunt Sacramenta, ne in miserabiles Simoniacorum prolabantur, hasque ingentes corporis, & animæ punitiones. *Sess. 22. decr. de obs. in cel. miss. & de Simon. cap. ad Apost. & ca. cum in Eccl. & Leo x. cõstit. 11. Pius V. const. 5.*

Accedentes vero ad hęc, & ista suscipientes omni humilitate, pietate, ac corporis, & animi compositione sint insigniti; omnibus iocis, nugis, atque à tanta

maiestate, vanitatibus, atque indecentijs omnino se- motis, ne ad inextimabilẽ Deus prouocetur iracundiã.

C. Finali de cohab. mul. cap. Fin. de Cler. excom. c. Sacer. dist. 93. cap. Quis dub. 95. dist. & c. 9. 1. cap. necess. est Trid. ibidem.

Materias à sacrosancta Ecclesia decretatas, ac consecratas nullus audeat alterare, imminuere, augere, mutare; Item nec formas; præcipuè vero circa substantialia, atque essentialia: omniaque requisita in Sacramentorum collatione noscant illa conferentes: videlicet, intentionem, materiam, ac formam, hancque piè, distinctè, clarè, vt Sacramenta recipientes intelligere possint, pronuncient; seclusa dumtaxat Eucharistiæ sacrosanctæ forma, quæ secreta vti debet prolatione.

8. q. 1. in Scripturis. 22. q. 1. si quis.

Caueat penitus Curatus, aut Hebdomadarius diù noctuque petitã ab infirmo, vel sano etiam non in periculo existẽte Sacramentorum copiam alicui negare, imo alter admissus ad Sacramentorum administrationem, si probabile fuit Hebdomadarium non potuisse debito munere persoluere, caueat inquam, quia à nobis districtissimè punietur, si remedium mortis ab aliquo negaretur.

Supradicta non ritè obseruans, vt explicauimus, præter sacrorum Conciliorum pænas, & Pontificum constitutiones, in alias arbitrio nostro seuerissimas quisque incursurus est; Vt accipiant omnes exemplum à Sacerdotibus.

Deuter. 17.

De Oleis Sanctis.

Prouerb. 21. De custo. Euchar. & aliorum sacr. c. 1.

THesaurus desiderabilis est oleum in habitaculo Iusti: Custodia diligentissima adhibenda est. Igitur vasa disiuncta, stannea, vel argentea (si fieri potest) sint necesse est, hęcque aptè stipata, ac solida cum operculis suis optimè munita.

Literæ doceant variam Oleorum in Vasis distinctionem.

Fene-

Feneſtella in pariete adaperta, & in Arca bene munita, claue clauſa perpetuo cuſtodiantur.

Goſſipium ita in his conſitum ſit, vt nec aridum ſit, nec Olea effluentia nimis exiſtant.

Claues autem penes ſe ſemper Curatus retinebit, ne quis illis abuti, vel ſacrilegio impio audeat tentare.

Nec vſquam in ſanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ Tabernaculo reponantur.

A Cathedrali noſtræ Diœceſis tantum quotannis Olea ſancta recipiant Curati, & nouo percepto, vetus ſtatim in ſanctiſsimi Sacramenti lampade comburant, bombice veteri in Sacrario prorſus exuſto.

Aduertant autem Curati, vt Olea ſancta ſemper in maiori quantitate excedant non ſancta, quæ adiungunt, ſed quę non conſecrata apponuntur, guttatim inferantur, ne ex ſuperabundanti materia non conſecrata remaneant, conſecratum enim Oleum tranſmutaretur in non conſecratum; vnde irrita huius Sacramenti eſſet collatio.

cap. Quod in duob. de con. Eccl. & 14. q. 2. c. non afferimus.

Gratis verò miniſtrent Curati ſancta Olea omni abuſu prætermiſſo, etiam ſponte oblata penitus reijciant.

Conc. Tridēt. Seſſ. 13. cap. 6. Ioan. 6.

Diligens ſit Curatus in omnibus ſupradictis, ſit cautus, pius, præcipuè verò in die, ac nocte ſine aliqua negligentia, ne quis eius defectu ſine Olei Sancti vnctione in extremo poſitus decedat, alioquin ſe à nobis ſeueriſſimè puniendum agnoſcat.

27. q. 1. ſi Cuſtos. 22. q. 1. ſi quis

Per Laicos autem nulla permittatur Sanctorum Oleorum delatio, nec non niſi per Sacerdotes adminiſtratio ſub eiſdem pænis: ne doleat Dominus dicens: Nomen ſanctum meum polluiſtis.

Ezech. 20.

Ioan. 6.

Concil. Trid. Seff. 23. cap. 5. & cap. 4.

Seff. 23. ca. 1.

EGo sum: panis viuus, qui de cælo descendi. In Cathedralibus, Patriarchalibus, atque Collegiatis præcipuè super Altare Maius perpetuo hoc tantum Sacramentum custodiatur; est enim excellentius super omnia, vt realiter continens Corpus, Sanguinem, ac omnipotentem Christi Domini diuinitatem, & veram humanitatem; Igitur cum omni honore, ac cultu possibili custodiatur necesse est; Idque persæpe Curati doceant, atque in hac fide Populos confirment.

De conse. dist. 2. Qui bene.

De custod. Euchar. sacror. cap. 1.

Tabernaculum ex nobili, & ornata materia insignitum quoad fieri potest existat, intus vbique stipatum, & clausum, & serico panno circumductum; Conopeo pro Ecclesiæ possibilitate, & pro temporum opportunitate in coloribus requisitis perfectum; claue ac serã æterno tempore optimè custoditum; amplum pro ratione Ecclesiæ; in forma præcipuè, quæ nunc temporis in sacrosancta maximè viget Ecclesia.

De conse. dist. 1 Vasa, & ca. vt calix.

Custodia, vel pixis sit argentea, saltem eius cuppa; bene mundata, subtus quam semper benedictum corporale subiaceat, nec quid aliud hic asseruetur, scilicet Olea sancta, aut Sanctorum Reliquiæ; ipsa vero sit operculo pariter argenteo semper strictissimè clausa, in cuius summitate Crucis signum eleuetur.

De conf. dist. 2 Qui bene.

Conopeoleo semper serico, atque auro, si fieri posset, intexto pro Ecclesiæ coloribus operto, & circumsepto ad maius puluerum, & indecentiarum munimen, ac tutamen.

Leuit. 6.

Ignis semper cum Lampadario pro Ecclesiarum posse ante Altare diù noctuque ardebit.

Lampadarium saltem, vbi facultas adsit, more Candelabri Templi Dei, cum septem Lampadibus, arte, colore, atque auro elaboratum semper ante augustissimum hoc Sacramentum pro posse quisque conetur erigere, atque perpetuò conseruare. *Exod. 24.*

Societatem sanctissimi Sacramenti in Domino hic obsecramus, esse admodum diligentem; ne vnquam absque Lampade accensa, diù noctuque vel ad minimum momentum reperiatur; & eò ornatius, ac copiosius, quam fieri possit, tum lampadibus, tum cereis, ac intorticijs pro consuetudine, & posse tantum Sacramentum veneretur, atque adoret: scriptum est enim; Ignis semper ardebit in Altari. *Leuit. 6. De celeb. miss. c. Perniciosus* *Leuit. 6.*

Particulæ aliquæ ad viaticum necessariæ continuo in Pixide asseruentur, & ad perpetuam tanti Sacramenti existentiam.

Consumet Sacerdos aliquis, vel Hebdomadarius particulas, quæ superauerunt, & octauo quoque die nouum conficiat Sacramentum.

Hic Clericus Sanctus sit, nec tantum negligens Sacramentum, vnde aliquid emanet indecens, aut scandalosum; ne seuerissimas Canonum Sacrorum pœnas incurrat. Imò maiores pro maiori culpa, & negligentiâ pro nostro arbitrio punitiones incurret: scriptum est enim, Quicunque habuerit maculam, non offeret Deo panes. *Cap. sane de celeb. miss. & c. de cust. de off. del. vt supra de sacr. in generale.* *Deuter. 21.*

De Eucharistiæ Administratione, ac sumptione.

CAro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: In Paschate nullus hoc Sacramentum omittere potest; illudque à proprio Paro- *Ioan. 6.* *Conc. Tridēt. Sess. 14. ca. 5.*

cho

Later. Concil. sub Innoc. 3. cap. omnis vtriusq; sexus. cho sumere tenetur quisque fidelis vtriusque sexus Ecclesiæ Catholicę subiectus, secluso legitimo, ac cognito à nobis impedimenti obstaculo.

Cap. vtriusq; sexus de celebrat. miss. in Conci. Later. sub Innoc. 3. Nomina igitur, cognomina, domicilia, loca, origines in scriptis signent omnium Parochi: admoneant populum de præcepto huiusmodi ab Ecclesia decreto, ne post octauam Paschatis Resurrectionis Domini solemnem, tantum omittens mandatum, & sacramentum, in districtas sanctorum Canonum sanctiones, & pænas miserabiliter incurrat, tùm corporales, tùm spirituales, præter Episcopi arbitrarias; negligentes verò hoc præceptum statim nobis annuncient Curati.

Sess. 13. cap. 6. Hortentur quoque in Domino Parochi, & Curati ad tanti efficaciam Sacramenti secordes non esse fideles, nec raros, aut negligentes, sed in solemnioribus Festis Domini, Sanctorum quorundam præcipuorum, ac præsertim Beatæ semper Virginis Mariæ Dei genitricis, nostręque Aduocatæ: sicque nouas persępe à domino gratias omnes percipere certum est.

C. omnis vtriusque sexus de Pen. & remissione. Peregrinis, & Aduenis in Paschate nostra Diœcesi morantibus notificent Curati, ibi eadem Sacramenta se Ecclesiæ præcepto sumere deuinctos esse.

41. q. 1. Interrogo. Administratio huius Sacramenti, si commodè fieri potest, fiat loco mulierum à viris separato, nec nisi super mappas sub mensas communicantium extensas, ac suppositas; vt periculum (quod absit) sanctissimi Sacramenti in terram delapsi penitus aufugiatur.

Nullus verò ex nostra Diœcesi extra eam Sacramentum hoc sumere in Paschate præsumat, vel si sumpserit, iterum reassumat, ne fallendo semetipsum, nos quoque fallamur ab ipsis.

Arcean-

Arceantur à tanto Sacramento peccatores publici, & scandalosi, nec nisi post temporis tractum à nobis indicandum, postquam resipuerint, eisdem conferatur.

Sess. 22. Decr. de obseru. & Edit. in Missa

Ablutionem deinceps Sæcularibus in calice consecrato, aut in custodiæ operculo nunquam ministret Sacerdos, sed vt mos probatissimus est in Ecclesijs apprimè cautis, vasculum super Altare aqua dimidiatum insistat, hic Sacerdos digitos abluat, aqua deinceps Communione finita in Sacratium proiecta: vel pro laudabiliori consuetudine, si fieri commodè possit, statim communicatus Sacerdos ante Purificationem astantibus tantum ministret Sacramentum, vt deinde ieiunus, si quæ fragmenta superauerint, assumat, vel digitos in calice ablutos purificatione reassumat: Vel vt habetur in Ordine Baptizandi ex Romanę Ecclesię ritu proximè ædito, ablutis digitis vino, aut aqua in vase minimè consecrato communicatis deinceps ad ablutionem propinet Curatus, & Sacerdos, nullis tamen prolatis verbis, quod etiam in infirmis post sanctissimum viaticum seruari poterit.

In ord. Bapti. & alio. Sacramentorū Administr.

In ord. Bapt.

Adolescentes prima vice hoc Sacramentum sumere volentes, prius de pietate, cognitione, ac voluntate propria sedulo examinentur.

Sacerdos indutus cum Stola saltem, & superpelliceo hoc Sacramentum ministret, maximaque animi, ac corporis compositione, singulis clarè proferens, quibus illud ministrat, verba illa, Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam ęternam; cui suscipiens, respondeat, Amen: Idque Parochus populum doceat.

Concil. Tol. 4. Bracar. 1.

Clerici omnes tùm ordinis inferioris, tum in sacris positi sciant, se huius Sacramenti perceptionem fre-

Trid. Concil. Sess. 23. cap. 6. quentare obligatos esse, illi in minoribus constituti bis, vel saltem semel in Mense.

Conc. Trident. Sess. 23. c. 13. Sacris vero Ordinibus insigniti diebus Festiuis solemnibus, & Dominicis communicare debent; tum ob bonum morum exemplum, & Ecclesię ministerium, tum ob vitæ spiritualis profectum adipiscendum.

De cons. dist. 2. in Cana. In Cæna Domini Clericus quisque in missa solemni sacram sumat in sua Ecclesia Communionem.

Cap. omnis vtriusque sex. In tertia, vel quarta Quadragesimæ Dominica annunciet Populo Curatus præceptum de sacra Communione ex capite Omnis vtriusque sexus ab Ecclesia editum ab omnibus percipienda.

Const. Paul. 3. Sodalitates vero huius sanctissimi Sacramenti præsertim sint maximè diligentes & piæ, ob ingentes Indulgentiarum Thesauros à Paulo III. Pontifice maximo concessarum.

Vrb. 4. Clem. v. Marc. v. Eug. 4. In die autem solemnissimo Corporis Christi Domini recordentur omnes Clerici tàm Sæculares, quàm Regulares, imo Populus vniuersus Ecclesiæ Dei, quemcunque honorificentissimo ornatu paratum, nihil esse ad tantam, si conferatur, maiestatem; Ideo in Processionibus tanti Sacramenti seipsum quisque probet in pietate, incessu, deuotione; Insuper non obliti magnarum Indulgentiarum à summis Pontificibus concessarum: ne iure merito clamet Deus, Ego honorificaui vos, & vos inhonorastis me. *Ioan. 8.*

De

De Viatico ad infirmos deferendo.

QVI manducat hunc panem, viuet in æternum; Igitur honorificè, piè, ac deuotè deferre conetur Curatus ad Aegrotos hoc tantum Sacramentum, vultu cernuo, vultu reuerenti incedat, vestitus Pluuiali, stola, ac maximo si fieri potest, comitatu, campanula præcedente, subtus Baldachino, & pluribus, quam fieri potest, associatus sit luminaribus tantum Sacramentum; præcipuè vero si ventorum aut pluuiæ iniuria timetur, lanterna vndique bene clausa præcedat, precibus interim à Clero, & Populo in via decantatis, cũ hymno præcipuè PANGE LINGVA, decantato.

Ioan.6. Sess.3. cap. 6. De consecrat. d. 2. Presbyter.

Si de die occurrat, custodia magna vti possit; si vero de nocte paruula capsa à nobis in Visitatione demãdata argentea, & bursa inclusa ad collum cum cordulis solidis, & intra pectus clausa, vti necesse esse præcipimus.

Duæ semper, vel tres particulæ deferantur, vel plures pro ægrotorum multiplicitate, necessitate, vt in regressu semper honorificus ordo seruetur.

Cautè semper incedat Curatus, ne offendens, in lapidem, decideret tantum in terram Sacramentum.

1.q.1.Interrogo.

Quod si ob infirmorum necessitatem omnes sumerentur particulæ, tunc expoliatus redeat sacerdos sine luminaribus, & omni prorsus deposita solemnitate reuertatur: ne populo idiotæ adorationis præbeatur occasio, vbi non adsit.

Moneat autem infirmi familiares, & consanguineos Curatus sanctum delaturus Sacramentum, vt domum, & loca, per quæ sit transiturum, & deponendum, munda, ornata, & super tabulam quasi Altare, Cruce, ac luminaribus decentibus, cum alicuius Sancti Imagine decoratam, constituant.

86.d. Pulchra.

41. d. Cleric. In eo deferendo, capite discooperto, & composito animo, & corpore omnes incedant, in viaque genuflexi in Sanctissimi Sacramenti transitu cuncti prosternentur.

8. q. 1. Licet post med. & de consecr. d. 2. sequis per ebriet. Cautus sit Parochus in ægroti signis Contritionis, Confessionis ante actæ; infirmitatis ad vomitum pronæ, vel difficilis Sacramenti sumptionis; ne aliquod periculum scandalosum, vel indecens occurrat.

13. q. 2. c. Quesitum est &c. quod in te de Pæn. & rem. & Clem. 1. de Pæn. c. 2. Iudices quoque hortamur, vt si dominus noster idem corpus, & sanguinem suum preciosissimum etiam in facinorosorum salutem tradidit, quod in latrone publico compertum est, nec ipsi huius beneficio die ad vltima supplicia præuio damnatos tanto defraudent Sacramento, si tamen contritionis, & pænitentiæ externa signa, & huius desiderium aliquo modo reus expresserit; ne sicut patres eorum in deserto manna *Ioann. 6.* tantum simplex manducauerunt, & mortui sunt; ipsi pariter huius defectu moriantur, in minori saltem diuinæ gratiæ augmento.

Quæ omnia nisi accuratè, piè, religiosè, & vt æquum est, fient, & obseruabuntur, maximis transgressores se plectendos punitionibus norint.

De Oratione Quadraginta Horarum, & Sanctissimi Sacramenti in Altare asseruatione.

Eccl. 38. FILI in infirmitate tua ora Deum, & ipse te curabit. Idcirco sanctissimum semper ritum laudauit Ecclesia Catholica de Quadraginta Horarum oratione pro Dei cultu, nostri necessitate, ac beneficiorum diuinorum gratitudine.

Ornamentum igitur, quoad fieri possit, pro viribus maximum in Altari tunc temporis elucescat; Bis autem in anno mandamus fieri hanc ad Sanctissimum Eu-

chariſtiæ Sacramentum efficaciſſimam orationem, ad Deique magnam pietatem impetrandam, peccata tollenda, gratiam ipſius erga nos augendam.

Prima igitur erit in Cathedrali noſtra in Patroni noſtri Sancti Donati Natali.

Secunda in Domini noſtri Sanctiſſima Reſurrectione in Eccleſia Sancti Nicolai Collegiata.

Nocturno tempore penitus hanc haberi orationem mulieribus prohibemus, poſt igitur ſalutationem Angelicam veſpertina hora pulſatam recedant omnes ſub pęna à nobis arbitranda; Tempore autem nocturno viri cum animi, & corporis, quam poterunt, & debent, pietate, ac deuotione accedant; Et vt nunquam derelictum remaneat Sanctiſſimum Sacramentum, fiant intimationes Cõfratribus omnium Sodalitatum illas ex omni parte obſeruantibus, horam, tempusq; illis aſſignatum de puro corde ibidem in orationibus vigilantes pernoctent; ne dominus dolendo dicat; Sic? non potuiſtis vna hora vigilare mecum? vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.

1.Tim. 1. *Luc.6.* *Matt.26.*

De *Miſſarum celebratione*.

Sancta, & ſalubris eſt oratio pro defunctis: Si hoc in lege veteri de oblatis vitulis, & ouibus, quanto magis de Oblato Dei Filio Redemptore, Cõſernatore, ac Glorificatore noſtro? Quanta igitur debeat eſſe puritas, atque præparatio, quiſque ſecum mente percurrat, ſi tamen tantam à Deo gratiam obtinet, tantum ex parte minima agnoſcere ſacrificium; cum ſit Miſſa propitiatoria, ſatisfactoria, & meritoria, omnes in Domino hortamur, ne in vacuum audiendo, vel ſacrum Dei faciendo eiuſdem gratiam recipiant.

2.Mach.12. *Concil.Trid. ſeſſ.22.c.2.* *Concil. Trid. ſeſſ 24. decr. de ref. c.12.*

In Miſſa Epiſcopali, ſeu Pontificali curet quiſque

quàm diligens esse, vt & tantam agnoscens maiestatem, atque Dei gratiam in terris, mereatur gloriam in Cælis.

Trid. ibid. & de Consecrat. d. 1. Episcopus Deo, & c. iubemus.

Huic Clerici omnes maiores, & minores, imo, & dignitates intersint cunctæ, vt & alijs Pontificijs obsequijs diuinis, in omnibus, & per omnia vigiles, & prompti, ac Magistro Ceremoniarum obedientes: non enim summus Pontifex, & ipse huic obedire dedignatur; neque dum Pontificalis Missa celebratur, aliquis Clericus sub quouis prætextu, aut colore sine licentia Episcopi, aut legitimo impedimento ab eodem cognoscendo abesse præsumat.

c. Sacerdos. d. 93. c. quis dub. d. 90. & 1. q. 1. c. necesse est & Pius V. constit. 5. De consecr. d. 2. c. vlt.

Sint præterea omnes Clerici modesti, deuoti, loco sibi assignato contenti, & munere obeundo piè solliciti; vt sibi meritum, astantibus deuotionem, Deo gloriam, defunctis suffragium mereantur, & sint.

Audeat nullus Sacerdos, etiã Regularis eadem die celebrare super Altare, in quo Episcopus celebrauit, nisi obtenta ab eo licentia.

Pontificales Missæ, quæ totius anni tempore per circulum ab Episcopo in Cathedrali Ecclesia celebrabuntur, sunt istæ.

In Natiuitate Domini *nostri faustissima.*
Circumcisione eiusdem piissima.
Epiphaniorum Sanctissima apparitione.
Cæna Domini *Feria quinta Charitate plenissima.*
Resurrectionis Dominicæ *solemnitate Gloriosissima.*
Ascensionis solemnitate admirabili.
Pentecostes solemnitate gratia cumulatissima.
Corporis Domini *Sãctissimi solemnitate amãtissima.*
Io. Baptistæ Natali die Innocentissimo.
Apostolorum Petri, & Pauli festo venerando.
Beatæ Mariæ Assumptionis die Beatissimo glorioso.
Sanctorum Omnium solemnitate, gaudio plenissima.

Patroni

Patroni Ciuitatis die Felici.
Consecrationis Ecclesiæ Anniuersario deuotissimo.
Synodi Diæcesanæ die prima.
Diebus Ordinationum Sacrarum Deo dicatis.
Consecrationis Episcopi Anniuersaria.

Accedant igitur ad tantum Dei honorem, ad tantamque pro animabus suis fructiferam benedictionem omnes hilari corde, & dum tempus habent, operentur bonum. *Galat. 6.*

Tunc autem aduertant Sacristę, & Clerus totus in Dei gloriam vltra limites dierum aliorum ordinarios, totam Ecclesiam, atque Altare Maius perspicuum super omnia elucescere debere; vt & Ministri omnes, & reliquæ huiusmodi Ecclesiasticæ functiones coruscare debent; Ideo ornamenta, paramenta, ac omnia conuenientia, nedum necessaria, maturè, ornatè, ac piè sint disposita, vt repleatur domus Domini gloria Dei. *Ezech. 43.*

De Missis minoribus, & priuatis.

ALtare aureum inuolues Hyacinto; Hic quantam obseruationem, charitatem, ac honestatem requirat Deus apparet: obseruantia igitur recitationis Officij Statutis diebus cum Missarum celebratione, quantum fieri possit, videtur congruum iuxta Rubricarum Missalis dispositionem, exceptis tamen deuotionibus particularibus, necessitatibus, votiuis Missis, & quæ à pio, ac deuoto Clerico excipienda videbuntur. *Num. 4.*

Dominicis autem totius anni, ex Tridentino sacro sancti Concilij præcepto, cum alijs diebus festiuis Sacerdos quisque celebret, Curatus autem sæpius pro suæ obligatione Ecclesiæ. *Sess. 23. ca. 14. de ref.*

In Missis Cathedralis Ecclesiæ, & Collegiatarum *Pius v. const.*

Maio-

Maioribus, tum festiuis diebus, tum ferialibus promptus, diligens, pius sit quisque, cum ordine contigerint ministrare, vel celebrare, vt in alijs cunctis Ecclesiæ functionibus piger nullatenus existat.

Sess. 2. decr. de modo viuendi.

In Cathedrali singulis quintis Ferijs Missa de Spiritu sancto cantetur cum Lytanijs: in Ecclesijs verò priuatis Lytaniæ saltem ex Concilio Tridentino.

Conc. Trident. Sess. 23. c. 13.

Diaconi verò, & Subdiaconi (vt supradictum est, & à Tridentina sancta Synodo sancitum) Altari ministrantes, Dominicis cunctis, & diebus festiuis sacra muniantur Communione.

Honor. 3.

In Cathedrali, & Collegiatis missa Conuentualis nusquam omittatur ex Honorij Tertij cauta Constitutione.

De vita, & & hon. Cler. c. vt Quisquis

Minister perpetuo adsit celebranti, nec vnquam ab eo recedat ob vrgentes necessitates, & seruitia hic nullo pacto intermittenda.

Conc. Trident. Sess. 22. de obs. in cel. miss. Pius v. con. 5.

Clerici, & Curati maximè curent, ne in Ecclesiæ corpore, aut foribus rumor, tumultus, susurrus, Cachinni, aut indecentiæ vllæ prorsus audiantur, aut videantur, omnesque irreuerentias, ac turbationum pericula omnino amoueant.

1. Cor. 11. 1. q. 1 sacrosancta & ca. seq. & ca. necesse est 3. q. 7. in grauibus Leo x. const. 11. Conc. Trident.

Ante tanti sacrificij oblationem probet seipsum Sacerdos, vel seorsum meditando abstractus, vel in Sacristię Oratorio aliquandiu orando, seque pro viribus præparando, ne Iudicium sibi manducet, & bibat; non enim Agni immaculati oblatio offerentem maculis plenum, & sordibus spiritalibus ac corporalibus requirit, & libenter acceptat; non nisi confessus igitur quisque, & contritus accedat.

Conc. Trident. Sess. 23. decre. de ref. ca. 16. Sess 22. dec de obs. in ce. mis.

Nulli tamen Peregrino, aut Aduenæ alicubi celebrare liceat in Diœcesi nostra, nisi prius à nobis visis, & probatis eius Ordinarij Dimissorijs, ac ordinibus obtentaque in scriptis à nobis celebrandi licentia.

Quæ-

Quæstuare, vel quod absit, auaritiæ speciem ostendere inter Missarum solemnia nulli prorsus sit licitum, igitur nec Patenam populo osculandam præbebit Sacerdos, si vero pacem in imagine sculptam propinabit osculandam, ab Altari nequaquam ipse discedat; Crucem verò manipuli, vel stolæ nulli porrigat.

de ref. c. 9. Conc. Tridēt. Sess. 21. decre.

Ad matutinam horam semper cum Laudibus, & Primam ante Missę celebrationem quisque recitabit.

Cæremonias ab Ecclesia sancta vsitatas in vestitu, in habitu, à Sacristiæ discessu, ad Altaris accessum omnes vndequaque piè, atque reuerenter obseruent, & custodiant: Incessu igitur graui, modesto, humili, composito, actiones omnes ita associent Ecclesiasticas, vt tunc magis Sacerdos redoleat virum cælestem, quàm hominem terrenum.

Conc. Tridēt. Sess. 7. Can. 13 Sess. 23. de sac. ord. c. 1. Cā. 5

In Cathedrali, Collegiatis, & Curatis omnibus ob Populi commoditatem in aurora semper Missa vna celebretur, alia ad sextam, vel pluribus reseruatis, si adsit facultas, vt & mulieribus, & alijs pietas Ecclesiastica non negetur, & debitum Clericale persoluatur: Missa tamen maiori, vbi commodum sit, nunquam relicta, atque indecantata.

De cons. di. 1. solent plures.

Non ante auroram nisi in nocte Natiuitatis Domini, nec post meridiem, non sub diò, minus in locis, & domibus priuatis, pollutis, interdictis, Missa à quoquam sub quouis prætextu celebretur.

De cons. di. 1. Missarum.

Candelæ, seu intorticia quam plurima in festis accensa sunt adhibenda, sicque Missæ solemnes celebrātur, nec donec Sacerdos sumpserit sacram Eucharistiam, intorticia extinguantur, minusque, donec fuerit vltimum lectum Euangelium; Altaris Candelæ reliquæ sustollantur, aut extinguantur.

Conc. Tridēt. decr. de obse, & euit. in celebr. miss.

Anniuersaria aduertant, & curent Clerici, & Curati omnes cum suis oneribus persoluere ipsis Benefacto-

Conc. Tridēt Sess. 25. decr.

ribus

de ref. c. 4. 12. q. 2. c. Qui obligat. de cõstitut. dist. 5. non mediocr.

ribus, & onera à se grauia auferre, atque pro benemeritis iuxta ordinem à nobis proponendum, in Tabella scribendum, & in Sacristia affigendum, cunctis tam viuis quam mortuis satisfaciant: Fures enim alioquin Sacrilegi, atque excommunicati à sacris Canonibus declarantur, hęc debita omittentes.

12. q. 2. c. Qui obligationes. 10. q. 3. c. Vnio

Anniuersaria pariter vltimi Episcopi Diœcesis defuncti tanquam grati erga spiritualem Parentem filij, celebrare non omittat vnaquęque nostrę Dięcesis Ecclesia Curata.

Curatus nullus die festo extra Ecclesiam propriam nullibi missam celebret.

Sess. 23. de eu it. in cel. mi. & de consec. dist. 1. miss.

In Sacellis priuatis, seu Oratorijs, eoque minus in domibus prophanis cuiuscunque sit gradus, aut preęminentię, vel sexus, nullus audeat celebrare absque nostra in scriptis, eaque matura, facultate obtenta, sub pœna suspensionis à diuinis, & alijs pro arbitrio nostro maximis irrogandis.

Trid. Concil. Sess. 2. decr. de ref. c. 1. & de consf. d. 1. Sufficiat.

Simoniæ suspicionem omnino auertant Sacerdotes spe lucri, & solutionis votiuas Missas celebrare cupientes; nam & Sacrilegium, & pro temporali minuto sempiternas incurrent pœnas, & diuitias amittent ęternas: nullo igitur pacto, nec tacitè, aut per iocum, pro Missis aliquid petendo annuere tentent.

In Cathedrali nostra diebus feriatis semper, & perpetuo tres Missas celebrari districtè mandamus; in Collegiata Ciuitatis duas, diebus verò Festiuis omnes celebraturos, vt supra diximus, fore se sciant ex Decreto Concilij Tridentini; In Collegiatis verò Dięcesis totius duæ saltem diebus feriatis ordine supradicto, & tandem populus quotidie debitis non fraudetur obsequijs.

Sess. 23. c. 14. de ref.

Et vt Populus omnis scire possit, quę circa Matrimoniorum, Festorum, Ieiuniorum, Vigiliarum, & aliorum

aliorum Ecclesiæ sanctæ pręceptorum annunciationes, ac statuta sunt in posterum mandamus cuique Ecclesiæ, Oratorio, aut Confraternitati nostræ Diœcesis sub pœna à nobis seuerissima contrauenientibus irroganda, ne audeat quis ante Parochiæ ac Curatæ Ecclesiæ Missam, in suis locis Sacrum celebrare, aut permittat celebrari, maximum enim in hoc Populi detrimentum experti sumus, circa eorum animarum salutem.

Pręsentibus saltem duobus semper celebretur, vt competere possit illud, Orate Fratres, & Dominus vobiscum.

De conf dist. cap. Quoque Conc. Tridēt. Sess. 14. cap. 5. Can. 7. De conf. dist. 2. Quotidie.

Confiteri peccata sua ante Missę celebrationem recordetur quisque Sacerdos; quia & venialia de facili ad mortalia inducunt, vel saltem in hebdomada mortalia non omittat confiteri, si habeat Confessoris copiam, sin minus maxima instante necessitate celebret contritus valde, cęterum illicò ac poterit confiteri nullatenus omittat.

Missam in Sacristia ante eius celebrationem quis videat, & perlegat totam, ne in Altari deinceps aliquam sibi mortificationem, Populo scandalum, Deo irreuerentiam procuret.

3. q. 7. in gran. & duob. seq. capit.

Tardè, vel lentè nimis, nec festinet admodum in legendo, & Cæremonijs Missę perfungendis vel modicam indecentiam ostendat.

Concil. Trid. Sess. 22. decret. de obser. in celeb. mis. Trid. ibid. & Pius V const.

Habitus igitur (quęsumus omnes, & pręcamur in Domino) Vestitus, incessus, & Cæremonias adeò menti infixas habere sacras; decentes, honestosque actus, ac gestus, motus, atque Crucum compartitiones, maturè, piè, ac religiosè agere, ac ministrare, vt eius actiones omnes in tanto munere sacramentali, vel minimum quid indecens pręseferat; vnde sibi confusioné, adstantibus scandalum, Deo dedecus afferat: Cæremo-

niarum igitur, & Missalium nuper impressorum, Antiphonarum frequens quisque Sacerdos sit Lector atque sedulus operator.

In eleuatione precipuè Calicis cauti, ac discreti sint omnes Sacerdotes, ne vel nimis extollendo, vel flectendo, vel supra caput incautè illum imponendo (quod maximum esset Sacrilegium) sanguinem Domini sacratissimum, vt olim in aliquibus euenisse scimus viris imprudentibus (cautum est) effunderent. Ergo omnes gestus, verba, actus, ita ordinatè, & compositè fiant, vt potius homo hic videatur, & sit Angelicus Dei minister cęlestis, quã Terrenus; Ideo nec vnquam Populo post Missæ finé reuerentiam faciet, nisi pręsente proprię Ecclesię Pręlato, & Maiori.

Hortentur in Domino Curati omnes diebus saltem Dominicis, ad Festiuis Populos ab Ecclesia non discedere, donec completa sit Missa, & Benedictionem à Sacerdote cuncti acceperint diuinam.

Ad Moniales audeat nullus celebrare absque nostra licentia sub pęna maxima à nobis infligenda, preterquam à nobis constitutus Rector, vel Curatus, vel alia quęuis Sacramenta ministrare.

Memorię proprię nullus adeo innitatur, vt in Missa, pręcipuè in Canone, semper oculum affixum non habeat, cum maxima animi attentione ad Missalis verba intuenda.

Quę omnia quisque diligenter opere exequatur sub pęnis à sacris Canonibus, etiam à nobis alijs pro delicti, aut negligentię crimine infligendis.

Et tandem in omnibus sacris Ecclesiæ functionibus ita se quisque regat, vt debet, in tanto pręcipuè, tantique Altaris sacrificio ex omni parte diuino, & charitatem vndequaque spirante: Vt ignis, scilicet charitatis quoque nostrę, semper in Altare Dei exardescat.

58.di.in plur. cap.de consec. 2. si per negl.

De consec.dis. 2.Missas,&c. seq. & ca. ad hoc.

Trid.ibidem.

55. di. Si Euãgelista.

1.q.1. necesse est.

Leuit.6.

 De

Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum, igitur Sacramentum hoc est de necessitate salutis. Ideo Matth. vltimo à Domino dicitur, Euntes in vniuersum mundum docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Ioan. 3.

Matth. 28.

Diligens sit Curatus admonendo parentes pro paruulis ad tantum Sacramentum mittendis, ne eorum negligentia miserabilis infans pœnas incurrat æternas. Igitur ante diem octauum, citra periculum tamen mortis, baptizetur infans, obsecramus iterum, atque iterum: alioquin negligentia deficientes ab ingressu Ecclesiæ interdicti denuncientur, si ob eorum culpam paruulos sine baptismo decessisse comperiemus.

1.q. 1. c. Neque, & c. Quicunque de cõsecr. dist. 4.

In domibus priuatis nullus baptizare, vel baptizari audeat, nisi in necessitatis casu, vel à nobis licentia obtenta.

Parochiæ propriæ tantum infantes baptizet Curatus, alienę nusquam nisi instante necessitate.

16.q.1. Interdict.

Librum habeat magnum, in quo nomina Parentum, Patrinorum, infantis, cum cognominibus sedulus adnotet; diem, mensem quoque, annum; an ex nuptijs legitimis ortus infans sit, adscribat, atque huius libri copiam quotannis Curiæ Episcopali assignet, vt in Archiuio Episcopali ad perpetuam rei memoriam conseruetur. Cautus sit interrogando, an domi baptizatus fuerit, à quo, & quomodo, ne si rite ab obstetrice, vel ab alio Sacramentum acceperit, iterum baptizetur, quod maximum esset sacrilegium; est enim irreiterabile inter cætera Sacramentum istud; sed tunc cæremonias tantum; & Ecclesiæ ritus adhibebit.

Concil. Trid. Sess. 24. c. 2.

Concil. Trid. Sess. 7. decr. de Bap. can. 11.

Ordo maxime seruetur in paruulis etiam mortis periculo

De con. dist. 4.

c. Constat & Conc Tridēt. vt supra c. 10 c. Sanctū & c. in necess. de conse. dist. 4. & c. Diaconi dist. 93.

periculo circundatis, scilicet, vt si commode conferri possit Sacramentum per proprium Parochum, nullus se immisceat; sin minus per alium, vel clericum; quo deficiente, per alium, & hunc masculum fidelem; hoc vero deficiente fęmina Sacramentum conferat; & Parochus sæpe doceat ordinem hunc in Ecclesia seruandum. Materiamque doceat esse Aquam elementarem, & naturalem.

Trid. ibid.

Formam verba hæc, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nihil addendo, vel ab his verbis detrahendo; atque diligens, & patiens sit Parochus in instruendis obstetricibus de simplicitate in hoc Sacramento adhibenda, de intentione, materia, ac forma: satis enim à nobis compertum est (flentes dicimus) ex multis paruulorum ab huiusmodi fæminis collatis Baptismatibus, paucissima fortè ritè collata fuisse in miserrimam illius paruuli insontis conditionem.

Conc. Tridēt. ibi lem. Sess. 24. c. 2.

Curet Parochus idoneos admittere Patrinos, id est pietate religiosa refertos, humiles, modestos, fidei rudimenta scientes, non excomunicatos, non interdictos, non in Paschatę inconfessos, ac sacra communione non munitos, nec inconfirmatos, non peccatores notorios, vt concubinarios, Vsurarios, non armis præcinctos; ratio omnium est, quia in hoc Sacramento Patrinus, vel Patrina promittit piè, ac constanter se pro paruulo renunciare Sathanę, & pompis eius; Nec minor sit compater annis 14. vt & noscere, & docere, & catholicè paruulum pro tempore defendere, & in fide confirmare valeat.

Dist. 4. de cōsecr. c. Monachi & c. non licet. Conc. Tridēt. ibid. & c. non

Regularis nullus, aut Clericus sæcularis ad paruulum in Baptismo subleuandum admittatur.

Admoneatque statim Curatus Patrinos de hac suscepta in se erga infantem obligatione, & spiritualem

cogna-

cognationem inter se contractam pronunciet.

Nomina præcipuè quoad fieri potest imponere reijciat Parochus, vel brutis, vel Gentilibus communia, sed Sanctorum Ecclesiæ Catholicæ Martyrum, & Confessorum nominibus hortetur parentes infantes decorare, neque impiorum, atque impurorum hominum eorum filios nominibus deturpare.

Ritus sanctæ Ecclesiæ in Baptismo necessarios diligenter attendat, & exequatur Parochus, idest aqua Baptismali in illo anno consecrata, Oleo eiusdem anni Chrismatis confecto vtatur, nec superpelliceo, sed linteolo aut gossipio Oleum sanctum, & aquam abstergat, hisque post hæc munera combustis, & in sacrarium Missis vtatur aspersorijs.

Trid. c. 7. de ref.

Puerperas ad benedictionem tempore statuto recipere Curatus admoneat, extra tamen Ecclesiam hæc Ceremonia (vt moris est Ecclesiæ) celebretur.

s. dist. 5. c. 1. & c. seq.

Vnus autem, vel vna eleuans infantem ad sacrum fontem sufficere debet, nec non solum tangens, sed propriè infantem sustentans; vel vnus ad summum, & vna simul ex Concilio Tridentino eleuans.

Sess. 24. c. 2. & de cons. dist. 4. non plures.

In dubio Baptismi infantis expositi cautus valde sit Curatus, ne vel iterum baptizet, vel inbaptizatum relinquat paruulum, vnde sub conditione, adhibita diligenti perscrutatione baptizentur infantes.

Sess. 24. dur. de ref. Matr. c. 2.

Ordine seruato mas prior baptizetur, si simul afferantur plures, omnibus Ecclesiæ per ordinem seruatis exorcismis, atque ritibus; sedulus igitur sit Curatus in Cathechismo Romano perlegendo, ne, vel aliqua omnittat essentialia, vel superflua superimponat: Rituale Sacramentorum persæpè præ oculis, & manibus habeat, aliàs in Conciliũ Tridentinũ incurret iuste rigorosum.

Sess. 7. c. 13.

Veh

Sess. 22. decr. de vsibus in cel. Miss. & de consec. dist. 4. Paruulos.

Veh autem si aliquando (quod tamen horribile dictu compertum est) quis ad turpem quæstum in Baptismo, vel alio Ecclesiæ Sacramento, vel Sacramentali inhiando intendat.

Obstetrices nullæ audeant munus earum exercere, nisi à nobis, & delegatis nostris, priusque diligentissimè sint examinatæ, & probatæ sub pœna exilij, & aureorum viginti quinque; Ideo Curati omnes de intentione, forma, materia, ceremonijs, nullas earum permittant paruulos in periculo existentes baptizare, nisi hoc examine preuio, alioquin à nobis seuerissimè puniertur: Si paruulorum animæ per aquam saluæ non fient.

1. Petr. 3.

De Baptisterio, & alijs ad vsum baptizandi necessarijs.

Prou. 20.

AVrum, & gemmarum multitudo vas preciosum; Fontem igitur ex marmore, vel duro lapide esse baptismalem decernimus; quod si lapis præ loci paupertate, vel incommoditate talis esse nequit, vt lapis aquam baptismalem absorbeat, & sordes in eodem generet; vas eneum intra fontem magnæ capacitatis accomodetur, vt pericula predicta euitentur.

De cons. dist. 4. omnis Presbyt. & dist. 1. nemo per Ignorant. cũ seq. c.

Fons vero sit interius, exteriusque decens, solidus, & valde tutus si fieri possit, sacrosanctis Imaginibus elaboratus, in cuius culmine, vel Crux, vel Sancti Precursoris imago eleuetur; Conopeo ex tela saltem piè depicta sit opertus. Porta, seu Fenestella eiusdem bene compacta, & claue, vel pessulo optimo munita, nec vlli preter vsum baptismalem vllatenus aperta; Muro nulla ex parte adhæreat, vt commode circundari possit; si cancellis sæpi poterit, conuenientior quoque erit, & in cappella aliqua, si hoc Ecclesiæ situs patietur

tur

tur. Imago verò saltem, si aliud signum esse non poterit, sancti Ioannis Baptistæ in muro effigiatur.

Sepulchra saltem quatuor cubitorum sint à Baptisterio distantia.

Intra Baptisterium ponatur, vel efficiatur pars separata, tamquam secretum armariolum, in quo tuta olea sacra asseruentur, Sudariola, bombices, linteola, absterforia, liber supradictus, vasculum cum cocleari, & alia ad Sacramentum tale necessaria administrandum.

Aduertat baptizans, aquam baptismalem paruuli infusam capiti, ne iterum in fontem delabatur, sed in sacrarium omnino diffluat.

Quæ omnia de Baptismo, & Baptisterio supradicta, vt decretata à nobis sunt, inuiolabiliter obseruentur; alioquin præter pœnas Canonum sacrorum incurrendas, alijs à nobis seuere plectendos transgressores nouerint.

Fontis baptismalis benedictio fiat iuxta consuetudinem in tota Diæcesi nostra duobus statutis ab Ecclesia temporibus, in Maioris scilicet Hebdomadæ, & Pentecostes Sabbatis, hocque maiori, quo possit, Ecclesiç rituum obseruatione, Clericorum conuentu, & pia Ecclesiæ religione: Vt vasa sint Deo dicata in honorem, & non in contumeliam. *Vt habetur in Pontif.* *Rom. 9.*

De Confirmatione.

SPiritus Domini repleuit orbem terrarum. Idcirco ad militiæ Christianæ maximum est Confirmationis Sacramentum munimen. Vnde Curatus populum moneat de huius temporis collationis, vt sciant virtutem, atque efficaciam in animas fidelium esse quam maximam, hancque contra nequitias Dæmonum fidei armaturam forè & esse tutissimam. *Sap. 1.* *De conf. dist. 5. c. 1.*

Annun-

Actor. 2. Annunciet primum in Pentecostes tempore (nisi aliud necessitas vrgeat) fore ab Episcopo tantum Sacramentum non Confirmatis conferendum, vt per dies octo moniti confirmandi se præparent cum Patrinis, vt piè, humiliter, ac religiosè accedant; & negligentes hoc suscipere districtè punientur.

Conci. Vuorm. & c. 2. di. 77. Aetas Chrismandorum sit ex Concilio Vuormatiēsi ab Ordinario præscripta, id est à nobis modò septennij decretata, nisi forte ingenuitas suppleat ætatem, vt scilicet recipientes hoc Sacramentum eiusdem vim, eorumque obligationem penitus agnoscant.

De conf. di. 4. in Baptisma. Conc. Tridt. Sess. 23. decr. de ref. c. 16. Adultus ætate Confirmandus, non nisi confessus, accedat.

Non aduenæ, & vagi ex surreptione, vel iteratione huius Sacramenti periculosa admittantur, nisi prius habita omnium certa scientia, de eorum licentia Ordinariorum, vel de longa in propria Diœcesi habitatione.

Patrini mares masculos eleuent; fœminæ fœminas; nec pueri senes, nec in Confirmati Confirmandos adducant.

Sess. 24. decr. de ref. c. 1. Omni accedant qua fieri potest pietate, deuotione, ac ad tantum Sacramentum humillima contritione.

Nec aliquis, vt aliqua vltra tres eleuare audeat.

De conf. dis. 4. non plures. De conf. di. 5. dictum & c. seq. Adulti in ætate virili, vel senili, sciant diligentia adhibita referre, an sint Confirmati.

Confusio prorsus aufugiatur, vnde ab vno latere prius mares, ab altero fœminæ Confirmentur, atque seorsum vnus post alium, sine tumultus clangore, ac strepitoso rumore, sintque ante Episcopum genuflexi Patrini dextera paruulum suscipientes.

Adulti confirmandi pedem dextrum super Patrini alium dextrum imponent.

De conf. di. 4. Monachi & c. non licet. Clericus sæcularis nullus audeat sub pæna à nobis infligenda Patrini onus suscipere, vt nec in Baptisma-

te,

te, hacque grauissima; minusque Regulares, ac Monachi.

Librum curent Parochi habere, in quo diem, mensem, annum, nomina, cognomina Patrinorum, ac Confirmatorum diligenter inscribant; huius copiam quotannis (vt supra dictum est de Baptismo) Curię Episcopali fidelem assignent.

Moneat Curatus Patrinos de onere suscepto in pueros à se eleuatos protegendo, & fidei rudimenta docendo, de spirituali contracta Cognatione matrimonia impediente.

Sess. 24. decr. de ref. matr. c. 2.

Nullus prædictorum ante Episcopalem benedictionem ab Ecclesia discedere audeat, vt tanto muniti Sacramento incipiant loqui magnalia Dei.

Actor. 2.

Quę omnia supradicta sub pænis in præcedenti capite de Baptisterio incurrendis obseruentur.

De Pænitentiæ Sacramento, & Confessarijs ipsis.

Nisi pænitentiam egeritis, omnes simul peribitis. quantum & prosit, & necessarium sit hoc Sacramentum ex his satis constat, vbi de animæ salute, vel æterna damnationo agitur.

Luc. 13.

Ad hoc vt ordine Ecclesiastico res ipsa agatur; quia tota animarum salus, vel perditio in eo consistit, vt valeant Confessores, & Curati discernere inter lepram, & lepram; Ideo præsenti decreto sancimus, nullum Clericum sęcularem, vel Regularem in nostræ Diæcesis ambitu audere sine præuio à nobis faciendo examine vllius confessiones, vel reconciliationes audire, nisi licentia à Nobis in scriptis obtenta sub suspensionis pęna, præter reseruatas à nobis arbitrarias, hasque maximas: Nec qui Parochialem Ecclesiam non habent, etiam si Regulares sint, nullius confessiones audiant ex Conci-

De Pæn. dist. 1 Quoniam pænitet.
Pius V. const. 111.

Sess. 23. decr. de ref. c. 16.

lio Tridentino, idque intelligatur à promulgatione huius Synodi post mensem elapsum; intra tamen decimũ quintum diem ad examen nostrum se quisque offerat sub eisdem pęnis.

c Omnis utriusque sex. de Pæn. & remiss.

Curatus vnius Parochiæ alterius pænitentium confessiones audire non præsumat sub eadem pæna, nisi obtenta in scriptis ab illius pænitentis Parocho facultate; extra vero Diœcesim nullus Laicus, seu Clericus audeat confiteri de Casibus Nobis reseruatis sub excommunicationis pæna, & alia arbitraria.

Trid. Concil. Sess. 22. decr. de obs. in celeb. miss. & de Sim. c. ad Apost. & c. cũ venerab. de consuetud. & c. 16. q. 1. Interdicimus.

Caueat ne vmbram quidem Symoniæ præseferre, idest spe lucri aliquod Sacramentum ministrare, vel tacitè pecuniam petere, aut recipere.

Aduertat Parochus, & Confessor pænitentes ab alio, vel suo Curato reiectos, vt quam diligens sit, & cautus, causas intelligens, vel eundem ad primum confessorem remittens, ex charitate fraterna saluti huius prouidere.

Conc. Trid. Sess. 21. decr. de ref. c. 1.

Solliciti sint Curati, & Confessores, vt de Sacramentis nullo pænitentes fraudentur beneficio.

Igitur in impositis pęnitentijs nullam prorsus faciat Ecclesijs eorum applicationem, vel sibi ipsis in restitutione pecuniarum à pænitente confessarum, atque debitarum, sed vel alijs Ecclesijs dictas pænitentias applicent, vel ad nutum nostrum applicandas retardent. Ergo nec ab infirmis sub colore Missarum celebrandarum accipiant pecunias, alioquin receptas restituere teneantur ad nostram voluntatem piè disponendas sub pæna suspensionis, præter arbitrarias, hasque grauissimas.

c. in capite d. 50. & 11. q. vlt. Canonica Sess. 24.

Publicè peccantibus, & grauissimè publicam, & grauissimam (si citra scandalum fieri potest) imponant pænitentiam, ne Confessarij illarum fiant comparticipes culparum, vt ex Conc. Trid. cautum est.

Non

Non in domibus priuatis (excepta infirmitatis necessitate) sed in publicis Ecclesijs apertis, & in sede cum tabella inter confitentem, & Confessarium interiecta, & lamina furaminibus admodum paruis interposita, sedendo semper tanquam Iudex spiritualis, & capite operto etiam cum quãtumvis Magnate, & in quouis gradu constituto confessiones audiat.

63. d. Valentianus, 96. d. dico in fine

Ante absolutionem, prius debitam satisfactionem, seu restitutionem promittant facere pœnitentes infra tantum tempus, præcipuè vero in damno tertij diligenter consulant Confessarij, nec sine secura promissione satisfaciendi absoluant.

De Pæn. c. Facilius §. Iure idem

Præter pænitentium confessa, pro ratione personæ prudenter, & piè attendant Confessores circa examen decem Præceptorum, Capitalium septem, & præcipuè eorum delictorum, quorum fama diuulgatur, & quæ ab ipsis pænitentibus in confessione non sunt expressa, atque eo magis de duobus Decalogi pręceptis vltimis, & occultis, à plerisque ignorantia, vel etiam incuria, & quandoque malitia omissis.

Conc. Tridēt. Sess. 14. c. 5.

In specie vero, aut in indiuiduo, Veh vmbram reuelationis, vel atomum in hoc Sacramēnto annuentibus.

De Pen & remiss. c. fin. & c. Omnis vtriusque sex.

Meretrices, concubinas, & publicos concubinarios nullus audeat sacramentaliter in confessione absoluere sub pæna suspensionis à diuinis, & viginti quinque aureorum, sed ij tantum, qui à Nobis ad hoc facultatem illos absoluendi habebunt, vel a Pœnitentiario pro tempore constituto.

Ad confessiones nullus admittatur vtriusque sexus sub pæna suspensionis à diuinis, & viginti quinque aureorum, nisi prius confitentes recitare, & memoriæ habere constet Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum, sicut de Ma-

Luc. 6.

gdalena pænitente; vt cognouit, ſcilicet Chriſtum Dominum, & eius fidem, ad illum acceſsit.

De Caſibus ſummo Pontifici, & Nobis reſeruatis.

Ioan. 20. Conc. Tridēt. Seſſ. 14. c. 3. Can. 11.

Ioan. 20.

Trid. Concil. Seſſ. 23. c. 18. de ref.

Gregor. xiij.

QVorumcunque remiſeritis peccata, remiſſa ſunt, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Hic clarè patet, quam ſalubre ab ineunte Eccleſia, fuerit Eccleſiæ Dei Sanctorum Conciliorum, & ſummorum Pontificum auctoritate, Caſus aliquos Pontifici ſummo, atque Epiſcopis reſeruare; tum ob aliquorum ignorantiam Curatorum; tum ob maiorem pænitentium ruborem, & timorem; tum ob Chriſti Domini conſilium, & mandatum; Apoſtolis enim loquendo, quibus ſuccedunt Epiſcopi, ait; Quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt, & quorum retinueritis, retenta erunt. Nos igitur diſtrictè præcipimus, ne quis Clericus ſæcularis, aut Regularis in noſtra Diæceſi exiſtens Tridentina ſuffulti poteſtate, atque Pontificia, ſub quouis prætextu, aut colore à caſibus etiam (ne dum ſummis Pontificibus) Nobis reſeruatis enormibus, atque hic ſubſcriptis, audeat pœnitentem vllum abſoluere (præterquam à Nobis licentia obtenta, & in mortis articulo) de Nobis in ſpecie reſeruatis. Vel ergo ad nos huiuſmodi pænitentes, vel ad Pænitentiariũ noſtrum illico tranſmittant, ſub pæna ſuſpenſionis à diuinis, excommunicationis latæ ſententiæ, & alijs à Nobis arbitrandis ſeueriſsimis pænis.

Vt præcipitur in Bulla in Cæna Domini. Conc. Tridēt. Seſſ. 24. c. 8. de ref.

Tabellam vero, ſeu Caſuum Nobis reſeruatorum ſeriem Populo annunciare inter ſolemnia omnibus noſtræ Diæceſis Parochis mandamus, prima ſcilicet Dominica Aduentus, & quarta Quadrageſimæ Dominica, ac ſimul etiam Pontifici Summo reſeruatos.

Casus Nobis reseruatos, & Summo Pontifici, præcipue vero in Bulla Cænæ Domini scriptos habeant omnes Curati, & in Tabella Confessionali affixos, & promptos, ne eorum incuria vel aliquam sibi arrogent facultatem, vel in supradictas, & maiores dilabantur Censuras, ac pœnas. *Ibidem.*

Omnes Parochi bis, aut ter, & sępius in Quadragesima Populum moneant in maiori eiusdem conuentu, si præterito Octauę Paschę Resurrectionis Dñi tempore sanctissimo Sacramento Altaris nō muniti existent, excōmunicationis pœnam incurrere. Ideo Indicē omniū, qui confessi sint, & communicati, & qui non, statim ad Nos fidelem, & integrum transmittat Confessor, seu Curatus; Vt oues nostras cognoscere possimus, & inuias ad viam salutis reducere. *Canc. omnis vtriusq. sexus de penit. & remiss. In Conc. Lat. sub Innoc. iij. Ioan. 16.*

Superpelliceo, ac stola semper in Confessionalibus sedeant Confessarij, in quo confessionali Imago Domini nostri, Beatę Virginis, vel alicuius Sancti ad deuotionem, & contritionem pænitentes excitet, totque sint Cōfessionalia, quot necessitas Ecclesię expostulat.

Forma quisque Confessor in absolutione pœnitentię sacramentalis imposterum subsequenti vtatur.

Non erubescant Curati Diœcesis huius, & Confessarij in arduis casibus præcipue vsurarijs & contractuum illicitorum, votorumque permutatione, quando occurrat gratuita à Summo Pontifice per Indulgentias, & Iubilei liberalissima absoluendi facultate concessa, inter se sæpius in genere Casuum materias communicare, & doctiores se consulere; hoc enim & sanctissimi, & doctissimi Patres perpetuo operati sunt, & vsque modo operantur: Ne si cæcus cæcum ducat, vel (quod auferat Deus) malus peiorem audiat, & absoluat, ambo illaqueentur, & in foueam cadant ęternam. *16. q. 2. Visis. 20. dist. c. vlt. 11. q. 3. Excellentissimus. 1. q. 1. Essote. Matth. 15.*

Absolu-

Absolutionis Sacramentalis Confessionis forma ab omnibus nostræ Diæcesis obseruanda Confessarijs.

MIsereatur tui omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. Amen.

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & misericors Dominus. Amen.

Dominus noster Iesus Christus, qui est summus Pontifex, te absoluat, & ego authoritate ipsius licet mihi indignissimo concessa, in primis absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantum possum, & indiges. Deinde ego absoluo te ab omnibus peccatis tuis, In nomine Patris † & Filij † & Spiritus sancti † Amen. Passio Domini nostri Iesu Christi, mærita Beatæ Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum tuorum, augumentum diuinæ gratiæ, & prœmium vitæ æternæ. Amen.

Qua forma vti debeant omnes nostræ Diæcesis Sacerdotes ad confessiones idonei, & præcipuè Curati sub pæna intra mensem à Nobis grauissima huius ignaris irroganda.

CEN-

CENSVRÆ, ET CASVS SVMMO PONT. *Iure Canonum, Conciliorum, ac variarum Constitutionum Pontificalium reseruati.*

A

ABortum, sterilitatem quomodocunque procurãtes, consulentes, auxiliantes. Sixtus V. const. 23. parte 2. Bullarum. Sfrenatam.

AgnusDei à Papa consecratos pingens, colorans, vendens. Greg. xiij. Constitut. 1.

Alumina de partibus Infidelium ad Fideles deferentes. Pius iv. Const. 49.

Apostatas à Fratribus Prædicatorum, & sancti Francisci detinens, & non denuncians. Bonif. ix. in priuilegijs eorumdem.

Armorum tribus palmis breuiorum Gubernator status Ecclesiastici licentiam dans etiam ad tempus breuissimum. Pius v. Const. 142.

Auditoris Cameræ Apostolicæ priuilegijs contrauenientes Iudices, & Notarij. Sixtus v. parte 2. Bullarum Const. 28. Ad generis nob.

Aureos ærarij à Sixto in arce sancti Angeli sepositos amouentes. Sixtus v. Const. 33.

B

BEneficio pro obtinendo ex parte aliquid dans, aut recipiens. c. cum detestabile de Sim. & Pius v. Const. 61.

Beneficium Ecclesiasticum obtinẽs sub alio nomine sui ipsius in examine. Paulus v. in Const. 36.

Bene-

Beneficia Ecclesiastica in confidentiam retinens, recipiens, palam, & occultè. Pius iv. Constitut. 108. & Pius v. Const. 91.

Beneficiorum Sedis vacantis, & Ecclesiarum dignitatum, ac præbendarum non seruans statuta, consuetudines circa fructus distributionũ etiam circa mensam Episcopalem, & impediens, Pius v. Const. 104.

Beneficium nominans, præsentans, conferens, suspenso. Pius v. Const. 58.

Bona palatij Apost. detinens, non reuelans etiam prætextu regalium. Adrianus 6. const. 3. & Clem. vij. const. 5.

Bona Ecclesiæ, vel beneficia & Locorum piorum, etiam sæcularium, & regularium, & Montium pietatis census, Iura quomodocunque vsurpans, ex Concilio Tridentino Sess. 22. cap. 11. Imo impediens fructus, emolumẽta, obuentiones, per se, vel per alios, fauens, consentiens. Sede vacante Commissarij, vel alij pecuniam extorquentes, vel de bono Fisci iudicarè tentantes; hic casus ante satisfactionem Papalis est, post Episcopalis. Clem. nolentes de heret.

Bona loca Fratrum sancti Augustini occupans, vexans. Leo x. const. Licet sponte.

Bona Ecclesiæ, Ciuitates, Oppida, & loca alia vacantia, & ad eam pertinentia, qui in feudum dando aliquo modo exegerit. Gregor. Decimustertius const. 2. & Pius v.

C.

Cadauera exenterans, & in frusta aquia coquens. cap. 1. de sepulturis.

Cardinalium bona vsurpantes in Conclaui. ibidem.

Consilium dantes, auxilium, fauorem, ibid. Conc. Constant. Sess. 41. c. Omnis ætas.

Cardi-

Cardinalem, vel eius commensalem, vel Nepotem fingens, vt literas Apostolicas gratis expediat. Innocentius Octauus.

Cardinales insectans, percutiens, capiens hostiliter; & fauens, auxilians, Pius v. const. 5.

Clerico manus violentas inijciens c. si quis suad. 17. q. 4. & c signif. de sent. excommunicationis: etiam prima tantum tonsura insignito c. Mulieres de sent. excom. Consilium, fauorem, auxilium in hoc dans: dicto c. si quis.

Detinens in custodia etiam sine corporis laesione c. cum quis de sent. excom. in 6. In vincula detrudens. c. contingit eodem.

Clericum relegans, aut proscribens, & contra eum scribens. Vrbanus vi. const. 6.

Concilium Tridentinum glosans, commentans, notans, scholians, interpretans. Pius Quartus constitutio. 97.

in Conclaui existentium Cardin. & Pontificis electi, vel aliorum ibi morantium bona inuadens, occupans, recipiens. Conc. Constan. Sess. 41. capite omnis aetas.

in Conclaui literas, scripta, signa, nuntia mittens, vel extra remittens. Pius iv. const. 61.

Confidentias Pontif. committentes, ac beneficiales quascunque committens. Sixtus v. const. 66.

Consistorij à Papa aliquod vetitum Cardinales patefacientes. vnde praeiudicium, aut scandalum nascatur. Leo xi. Conc. Later.

Conuentualium reformationes impediens, mutans. Sixtus iv. in Priuil. eorum.

D

Duellum in campo faciens, dans, auxilians, spectans. Leo x. const. 29. Clem. vij. const. 8. & Concilium Tridentinum Sess. 25 c. 19.

E

Ecclesiæ, & Monasteria vacantia, & à sede Apostolica prouisa nunciatoribus qui aliquod dederit, promiserit, & promissum soluerit. const. 3. Gregorius xiij.

ab Ecclesijs, & Locis sacris lapides, & ornamenta, auferens, seruans, retinens, fauens, auxilians. Sixtus iv. constit. 3.

Eleemosinas quærere negãs fas esse Fratribus Prędicatorum & sancti Francisci. Eugenius Quartus in eorum Priuilegijs.

Eleemosinas prohibens fieri eis. Sixtus Quartus in eorum Priuilegijs.

cũ Excõmunicato à Papa in diuinis participans scičter & sponte c. nuper de sent. excom. Fauorem, auxilium, consilium dans criminoso huic notorio. ibid.

Excommunicatus à Papa, & infirmus, absolutus, si sanus factus spernat se Papæ præsentare. c. eos qui de sent. excom. in 6.

Excommunicatos à Iure, vel constit. Synodalib. absoluentes. Clemen. de Priuileg. c. Religiosi.

Excommunicatos, & interdictos tempore Missæ, qui prohibent, ne exeant ab Ecclesia, si moniti sint. c. grauis Clemens de sent. excom.

Excommunicati, interdicti publici ab Ecclesia non exeuntes, si Monachi sint. eodem.

Excõmunicatur si quis cõtra Reges, Principes, Ministr.

& eorum

& eorũ bona miserit illum, mandans, quisquis sit, occidit, capit: hic casus Episcopalis est, si in spatio duorum mensium resipiscat, post Papalis c. Quicunque de sent. excom. in 6.

Extrahens aliquem, qui ad Ecclesiam confugit sine Episcopi facultate c. definiuit. 17. q. 4.

Exules reuocans, recipiens. Pius v. constitut. ex superne. Protegens, auxilians, fauens. ibidem, & Pius Secundus, Paulus Tertius, & Pius Quartus. Item homicidas, grassatores, damnatos capitaliter exules recipiens, & eorum iustitiam impediens, Greg. xiij. const. Dubijs.

F

ad Forum laicale trahens Ecclesiasticum, & fauorem, auxilium; consilium dans. Martinus v. constitut. 5.

ad Forum Seculare appellantes, confugientes Religiosi sancti Francisci de Obseruantia. Gregorius xiij. const. 26.

Forum omne recipiens quærelas Fratrum, & Moniali ũ Prædic. Leo x. in eorum Priuilegijs.

G

Gabellas, pedagia exigens à Regul. Mendicantiũ, atque quamuis exactionem pro quauis re, & prætextu. Pius v. const. 16.

Gubernatorem, Senatorem Vrbis nominans, eligens sine consensu Papæ. c. fund. de elect. in 6.

HVmiliatorum Ordinis extinctionem nō seruans. Pius V. in Bulla extinctionis.

I

INcendiarij,& loca sacra effringentes.hic casus ante denunciationem Episcopalis est, post Papalis. c. conquæst.&c.tua nos de sent. excom.

Indulgentias populo proponens, euulgans Episcopo inferior pro pecunia certa circa gratias, casus. Pius V. const. 82.

Indulgentijs Anno Iubilei à Papa suspensis qui Plenarias proposuerit, prædicarit, euulgarit. c. quicunq; de sent. excom. in 6.

Inquisitores negligentes circa hæreticos, & eorum ministri quoquomodo.c.multorum Clem. de her.

Inquisitores, officiales, & Episcopos impedientes perturbantes. Iul. 3. const. 16. & Pius V.

Inquisitorem, & huius ministros quoscumque in causa fidei terrens, occidens, verberans, deijciens; bona horum inuadens, consumens; scripturas diripiens, incendens, asportans; consilium, fauorem, auxilium dans: pro delinquentibus in fide, & in inquisitione veniam petens, aut pro eis intercedere tentans. Pius V. constit. 83.

Interdictos ab Ecclesia monitos qui prohibent ne exeant tempore Missę, & ipsimet non exeunt. c. grauis. Clem. de sent. excom.

Interdicti tempore generalis cogens Sacerdotem cęlebrare, quisquis sit, c. eodem.

Interdictum à Sede Apostolica publicatum violans. de pęn. & rem. c. etsi Dominici.

Iudex

Iudex recipiens querelas Fratrum Prædicatorum,& sancti Francisci. Leo x. in Priuilegijs eorũdem.

Iustitia pro obtinenda,vel gratia aliqua in Curia Romana dans, promittens, paciscens. Bonif. viij. in extrau. de sent. excom. capite 1. & Gregorius xiij. const. 22.

L

Libellos,& scripta faciens contra Fratres Prædicatores, & sancti Francisci. Bonif. ix. & Eugenius iv. in eorum Priuilegijs;Eleemosynas quærere, prædicare, confessiones audire, negans eis licere de facultate summorum Pontificum. Alexander iv. in eorum Priuilegijs. Apostatas in eisdem ordinibus detinentes, nec denunciantes. Alexander Quartus,Bonifacius Nonus in eorum Priuilegijs. Violentiam contra eos exercens. ibid.

Literæ Apostolicæ gratis expeditæ sub finctione Nepotis, vel familiaris Cardinalis. Innocentius viij.

Litteras commendatitias habens,& vtens eis pro dignitate gradus obtinenda;Nuntius Apostolicus Principibus in hoc vtens etiam pro suis consanguineis. Pius Quartus const. 13.

Loca, Ciuitates, Oppida vacantia Ecclesiæ Romanæ, tractans, vt in feudum alicui dentur.Gregorius xiij. const. 2. & Pius v.

M

Mancipium faciens Christianum etiam inter Turcas captũ,& eius bona diripiẽs.Pius v. const. 62.

Mariç Virginis Conceptionem tractans contra Sixti Quarti cõst. & decr. Trid. c. fęlicis de pęn. 16. & Pius

Pius v. conft. 114. incurrit enim fufpenfionem à diui nis, & Sixtus Quartus in Extrau. Graue nimis.
Miracula falfa prędicans. Leo x. Seff. 9. Conc. Later.
Moniali, qui manus violentas iniecerit, etiam Conuer fę. cap. de Mon. de fent. excom.
Monialium ingrediens monafteria etiam fub prætextu Apoftolico, nedum Epifcopali citra vrgentes neceffitates. Gregorius xiij. Conft. 28. & conft. in Dubijs.
Monialium fancti Auguftini exemptioni in Lumbardia fe opponens. Gregor. xiij. conft. Pro noftri.
Monialium Cifterfienfis ordinis exemptioni fe opponens. Greg. xiij. conft. Vniuerfi.
Munera accipientes Officiales, & Miniftri Papę etiam Epifcopi prçter exculéta, & pocul. quę biduo confumi poffunt. Paulus ij. in Extrau. Muner.

O

ORdine pro fufcipiendo, dans, aut recipiens ex pacto aliquid. de Sim. c. cum deteftabile. & Pius v. conft. 6.
Offendens in vindictam, & iniuriam fratrem, amicum, in Romana ditione, Paulus ij.

P

PAenitentiariæ Rom. contra Officiales conft. & reformationes fcribens, corrigens. Pius iv. conft. 65.
Pænitentiarię Officiales, Miniftri Romani pro expeditione celeri, aut labore alio aliquid accipientes, etiam oblatum. Pius v. conft. 51.
Pontificis electionem in Sede Vacante Cardinales Simoniace tractantes. Iulius II. in Extrau. c. cum tam diuinum; & mediatores ad hoc, imò fufpenfi

funt

sunt a dignitatibus, ordinibus, &c.

Pontificis dilectionem, altero viuente futuram tractãs, tentans verbis, nuntijs, scriptis. Paulus Quartus, Const. 42.

Prædicans miracula incerta, falsa, Item prophetias nõ ex Scriptura, & scandala. Leo Decimus in Concilio Later. Sess. 9.

R

RElegioso, seu Monacho manus violentas inijciẽs. c. dæmon. de sent. excom. etiam si conuersus sit c. Religioso eodem in 6. etiam nouitius tantum existens c. de mon. eodem.

Ratum etiam qui hoc habuerit. c. contingit eodem.

Religionis pro ingressu ex pacto dans, aut recipiens. c. cum detestabile de Sim.

non Mendicantes Mendicantes, qui recipiunt non impetrata facultate à sede Apostolica. Martinus Quartus in Extrau. de Ingres.

Religiosi non Mendicantes, qui transeunt ad non Mendicantes sine facultate summi Pontifici excepto Ordine Carthusien. Mart. v. Conc. Const.

Religionis domos, Monasteria Regularium mulier ingrediens. Pius v. const. 27.

Religiosus sancti Francisci de Obseru. subornans, & subornatus in electione Generalis, Prouincialis, Custodis, per se, vel per alium fauens. Pius v. constit. 170.

Mendicantium studia vexans, turbans in vniuersitate Parisien. Calistus Tertius in Priuilegijs.

Conuentualium reformationem impediens, mutans. Sixtus Quartus in Priuilegijs.

Sancti Augustini religiosus trãsiens ad alium ordinẽ sine licentia Superioris, etiam prætextu arctioris. Leo Decimus, ibidem.

Elec-

Sepulturarum electiones vouendo in suis Ecclesijs Clerici, qui aliquos induxerunt. c. grauis. Clemen. de sent. excom.

Simoniam committens aliquam ex pacto in ordine suscipiendo, beneficio cõsequendo, consulendo, procurando, & in ingressu religionis. de simonia c. Detestabile.

Sepulchrum Domini petens sine licentia Papæ. Art. Flor. parte 3. & 15. cap. 30.

Studia Mendicantium vexans, turbans in Vniuersitate Paris. Calixtus Octauus. Conuentualium reformationem impediens, mutans. Sixtus Quartus.

Suspensum nominans, præsentans, vel ei conferens beneficium. Pius Quintus, Const. 58.

Compendium Processus literarũ S. D. N. Clem. Papæ VIII. lectarum die Cenæ Dom. An. 1599.

Excommunicantur, & anathematizantur.

A

Appellantes à grauamine, vel futura executione literarum Apostolicarum ad Laicalem potestatem.

Appellantes à Pontifice ad futurum Concilium, horumque fautores, &c.

Arma, & alia vsui bellico idonea deferentes ad Turcas, vel alios Christiani nominis inimicos; & ad Reipublicæ Christianæ statum pertinentia ijsdem in damnum Christianorum denunciantes.

Literas Apostolicas, aut supplicationes aut in forma Breuis, & à quocunque autoritatem habente signaturam falsificante, aut falsò fabricantes.

P

PEregrinos, Romipetas, aut Romæ morantes, aut abeuntes, qui læserint.

Piratæ, aut eorum receptatores, fautores.

Prælatis, Cardinalibus S. R. E. nocentes.

Prælatos impedientes, ne sua Iurisdictione vtantur, quique illorum, & Delegatorum Iudicia eludentes ad Cancellarias recurrentes, aut contra illos decernentes, auxiliumque præstantes.

R

ROmipetas, ac peregrinos, & in vrbe morantes, vel abeuntes, lędentes.

Romanam Curiam pro suis negocijs per se, vel per alios petentes qui offendunt.

Romam, ac Sedem Apostolicam venientes, vel ab ea recedentes sua, aut aliorum opera qui læserint, & qui sine Iurisdictione in Curia commorantes vexauerint.

V

VIctualia, & alia necessaria, qui Romam conducunt impedientes.

Absolutio soli Pontifici reseruatur.

Absoluere præsumentes excommunicantur.

Absolutio Papæ non comprehendit eos, qui a præmissis non destiterint.

Casus aliquot ex quamplurimis à sacris Canonibus, & Conciliis NOBIS in specie reseruati sunt sequentes.

MAiori Excommunicatione, Suspensione, vel Interdicto irretiti.

2. Sortilegi, Incantatores, Dæmonum cõsultores, Ars magica quæcunque.

3. Matrimonia clandestina non in facie Ecclesiæ contracta.

4. Peccata publica enormia, vt

Concubinarij, & scandalosi. Vsurarij, Blasphemi, & Adulteri. } Pro huiusmodi habiti, vel denũciati, vel etiam per inquisitionem cogniti, & probati.

5. Homicidium voluntarium, studiosum, cum abortus procuratione, & paruulorum oppressione, etiam ex negligentia patratum.

6. Incestus vsque ad tertium gradum.

7. Sacrilegi etiam ex simplici fornicatione, atq; eo magis cum Moniali; Violatores, & Virginum raptores; vel Sacramentis, & Sacramentalibus abutentes.

8. Proprias filias, & proprias vxores prostituentes etiam per consensum tantum.

9. Peccatum contra Naturam, & cum brutis.

10. Incendiarij, & damna notabilia arborum, segetum, fructuum, animalium inferentes.

11. Legatis pijs non satisfacientes; Notarij illa non denunciantes, & Locorum piorum administrationis rationem non reddentes.

12. Ecclesiam polluentes.

13. Periurij in Iudicio, vel actu publico.

14. Incertorum restitutio vltra tres Iulios cui fieri debeat.

15. Ieiuniorũ Ecclesiæ, Vigiliarumq; per carnis, atq; lacticiniorũ esum absq; impedimẽti necessit. violatores

16. Qui per contracta tantum sponsalia, non adhuc celebrato matrimonio cum sponsa in Ecclesia, communicare, aut carnaliter se immiscere audẽt, & sine Missæ, ac Sacerdotali benedictione.

IPsa pauens periculum corpus suum humiliauit Ieiunijs. Igitur populos admoneant Curati omnes, & Confessarij, illi in publico, & palàm vbi maior plebis multitudo in Ecclesia aderit, Ieiuniorum Ecclesiæ præcepta ad fidelium carnes macerandas, ad Dæmonis tentationibus resistendum, vt Sacrosancta Tridentina Synodus obtestatur; idque inter Missarum solemnia Dominicis diebus sequentis hebdomadæ semper annuncient.

Hester.14. Sess.25. in decret. de delectu librorum.

Ieiunij tempore, ac Vigiliarum Sanctorum ab Ecclesia præceptorum carnes vendere, aut emere quis non audeat in tota Diæcesi nostra, nisi de Medici in scriptis licentia à nobis in hoc potissimum delegati, consensuque in scriptis habito sub pæna decem aureorum toties, quoties.

A lacticinijs quibuscunque in ijsdem vigilijs. Quadragesima, ac quatuor anni Temporibus omnes vtriusque sexus, & in quouis gradu constitutos abstinere mandamus.

76. d. Ieiun.

Horam vero Ieiunij comestionis cautum est esse meridianam.

De cons. d. 1. Solent.

Qui senio, infirmitate, aut quauis alia legitima causa impediti erunt à Nobis de facili licentiam in hoc consequentur.

De cons. dist. 1. Liquido & 30. dist. Presbyt. de reg. Iur. c. Quod non est.

Veh autem illis, qui corpore ieiunantes animam vitijs implent: Igitur dum caro ab alimentis abstinet, mens quoque à culpa ieiunet: hoc enim genus Dæmoniorum non eijcitur, nisi oratione, & ieiunio.

De cons. di. 5. Ieiunium. & c. nis. Matth. 17.

De

Hierem. 46. Pius V. const. & c. cum infirmitas de pan. & rem.

FRustra multiplicabis medicamina, sanitas non erit tibi. Videlicet si corpore curato anima languescat: Ideo legant quæso Medici omnes magnam Pontifici maximi pro eis fabricatam Constitutionem; ne scilicet amicorum, vel cognatorum, vel etiam lucri temporalis affectu aliquo seipsos, animamque propriam odio prosequantur: Idcirco cauti sint prius in ægrotantium visitatione, vel saltem pariter corpori, & animæ mederi. Infirmos per contritionis, confessionis, ac sacrosanctæ Communionis salubres antidotus hortando infra tres dies exequendas, medicinas pariter applicandó corporeas, ac carni salutiferas.

Quod, vt in posterum seruetur (vt æquum est) ante Tribunal nostrum comparere, ac Iuramentum præstare districtè præcipimus Medicis omnibus in nostra Diœcesi degentibus, se prædictam Pij Papæ Quinti Costitutionem penitus seruaturos sub pænis ibidem contentis. Publicent autem hunc Canonem Curati omnes in suis Ecclesijs prima die post Natiuitatem Domini elapsam: Ne plaga tumens (animæ scilicet) curata non sit medicamine, neque fota oleo charitatis, & gratiæ Dei verè sanantis.

Hierem. 48.

De extrema Vnctionis Sacramento.

Iac. 5.

INfirmatur quis in vobis, inducat præsbyteros Ecclesiæ: & orent pro eo vngentes eum oleo in nomine Domini.

C. quafronte dist. 93. Sciat Curatus Cōc. Trid. sess. 14. Decr. de ext. vnct. c. 3.

Curet Parochus hoc Sacramentum ægrotis in periculo mortis agentibus piè, religiosè, ac vt moris est Ecclesiæ Catholicæ ministrare, reliquias enim peccatorum abstergit, Dæmones fugat, morbum lenit, gratiam

tiam Dei confirmat, & auget.

Non tamen pueris vsu rationis expertibus, nec in partu fœminis laborantibus, minusque ad prælium euntibus, non per mare nauigantibus, vel vltimo supplicio damnatis vllatenus hoc Sacramentum quis ministret.

Sciat Curatus pro ratione sexus partes vngendas honestatis causa, in mulieribus præcipuè nec videndas, nec tangendas.

Diligens, & cautus sit Parochus in huius Sacramenti ministerio, ne vocatus retardans eius negligentia sine tanto Sacramento animia vbique dolens decedat: nam in tali negligentia, vt etiam in Pœnitentiæ, & confessionis neglecta administratione, infirmis debita, ac vigilanti, præter pœnas Nobis arbitrarias, exilium à tota Diœcesi, & beneficij priuationem ex nunc intimamus, & decernimus.

Concil. Trid. Sess. 14. de decret. extrema vnctione, & c. 2.

In deferendo hoc sacro Sacramento cautus sit Parochus, ne Laicus tangat, vel vngatur, portet autem illud in sacculo setico, vel ex corio bene munito per cordulas ad pectus, & intra pectus incluso, reuerenter, piè, & astantibus genuflexis orantibus, cum stola, & superpelliceo illud ministret, Vt viuis sanctum sit exemplum, & morituris refrigerium.

Trid. ibidem c. 3.

Postremo si quandoque euenerit, vt inter vngendum ægrotus expiret, vngere Parochus desistat, si vero aliquis eidem occurrat Parosismus, vt an viuus sit dubitetur, sub conditione vngat, scilicet, si viuus es; vt ægrotus in verba gaudij plena dicat, Vnxit me Deus oleo lætitiæ præ consortibus suis.

Psalm. 44.

1. Paralip. 6.

STabat iuxta ordinem ſuum in miniſterio Eccleſiæ. Tantum eſt Sacramentum iſtud, vt ſacroſancta Tridentina Synodus accuratam in hoc omnibus Eccleſiarum Epiſcopis diligentiam præſcripſerit.

Conc. Tridēt. Seſſ. 21. c. 1. de ref. & Seſſ. 22 decr. de obſ. in cel. miſſ.

Miniſtri igitur primò noſtræ Curiæ, vel minimum, quid prorſus oblatum, nedum petitum accipiant, ſed gratis, & inuiolate in Ordinum Eccleſiaſticorum collatione gratis ſe gerant.

Functionem deinceps nullam in noſtra Diæceſi Eccleſiaſticam omninò miniſtret quis, niſi aliquo Eccleſię inſignitus ſit Ordine.

Conc. Tridēt. Seſſ. 22. decr. de ref. c. 4.

Sicut verſa vice omnibus etiam in minoribus conſtitutis mandamus, vt diligenter quis in ſuo munere ſedulus operetur, pro noſtro enim arbitrio ſeuerè punientur vltra ſacrorum Conciliorum, & Canonum pænas irremiſſibiles, etiamſi nulla penſione, aut beneficio, vel ſtipendio recogniti ſint.

Seſſ. 23. c. 17.

In noſtra Eccleſia præcipuè Cathedrali diligentes ſint, & munera eorum Ordinibus adaptata exerceant, quod ſi neglexerint, vltra pęnas prædictas, & eorum Ordines ſuſpendimus, & ad alios promoueri impedimus.

Ibid. Seſſ. 23. de Sacr. ord. c. 11.

Ordinationes à nobis habendæ ante dies triginta per noſtra Edicta promulgabuntur, vt ad examen venturi, & Ordines ſuſcepturi, vel omnia auferre impedimenta, & literis (ſi præcipuè erunt aduenæ) ſuorum Ordinariorum Dimiſſorialibus parati eſſe poſſint.

Ibid. Seſſ. 21. c. 5. c. 1. de Scrutin. in ordin. fac. & d. 24. c. null.

Impedimenta, quæ auferri debent in literis ſupradictis, hic expreſſa ſunt, vt ſcilicet promouendi omnes ad Ordines Eccleſiæ minores, vel maiores, & ſacros ſint

Sub-

Subdiaconus 22. Diaconus 23. Sacerdos 25. annos natus sit.

Aetate legitima requisita.
Cõfirmati sãcto Chrismate.
Non rudes, & ignari.
Non criminosi.
Non solemniter pœnitentes.
Non Neophiti.
Non Gulosi.
Nõ vsurarij manifesti
Non infames.
Non serui.
Non corpore vitiati.
Non deformes insigniter.
Non illegitimi.
Non ignoti, aut Vagi.
Non Bigami.
Non leprosi post Ordinem susceptum.
Non irregulares.
Non suspensi.
Non interdicti.
Non excõmunicati
Non homicidæ.

Non seruus, nisi manumittatur.
Non morbo caduco, vel infirmitate periculosa læsus, vel vitiatus.
Non ænergumeni.
Nõ examine non probati.
Non sine bono testimonio, ac fideli, de vita, & moribus laudabilibus, ac Christiano dignis.
Non sine exercitijs spiritualibus per octo dies ante factis, vel fiendis post Ordinis susceptionem
Non sine literis ad priores Ordines promotionis.
Non sine literis à proprio Ordinario Dimissorial.
Nõ in ordine prius suscepto inexercitati.

Pensionem Ecclesiasticam, seu Beneficium, aut de Patrimoniali substãtia nõ habens, ad Ordines promoueri non præsumat ex Sacrosancta Tridentina Synodo, nisi vel ab ali-

Conc. Tridẽt. Sess. 23. de sacr. or. c. 1. 12. Tridẽt. Conc. Sess. 13. c. 4. Trid. ibid. Sess. 17. C. 1. de Big. non ord.

C. Quid si. De vit. & honestate Clericorum.

C. Episcopus d. 47. C. Qui q. 1. d. 51. D. 24. de ser. non ord. ibid. D. 51. c. fin.

D. 56. prib. & c. peruen. qui fil. sint D. 51. c. Qui Trid. Sess. c. 18. De Bigamis non ord. Tri. Sess. 23. decr. de ref. c. 17. D. 51. c. Qui. Sess. 24. decr. de ref. c. 1. Conc. Tridẽt. Sess. 14. decr. de Ref. c. 1.

Trid. decr. de ref. Sess. 21. c. 2. Sess. 23. c. 9

D. 54. c. 1. 2. 3

D. 55. per totum de corp. vit.

Conc Tridẽt. Sess. 7. c. 11. Sess. 23. c. 3. Trid. Sess. 23. decr. de ref. c. 11. 12. 14.

Conc. Tridẽt. Sess. 23. decr. de. ref. c. 8.

Ibid. c. 17. & Sess. 13. decr. de ref. c. 11.

 quo

quo firmiter prouideatur, vel cautionem pro vitæ sustentatione securam, & certam prestet.

Sess. 7. c. 11. & Sess. 23. de sac. ord. c. 11. Examini se offerat promouendus pro muneris fungendi, ac Ordinis suscipiendi ratione; sine igitur prçuia ad Ordinem suscipiendum prçparatione nullus accedat, ne ipse cum dedecore, Examinatores cum animi compassione existant.

Sess. 22. decr. de obs. in cel. miss. Examinatores nulla spes præmij ab ore, vel à manu, aut metus ad aliquem promouendum vsque abducat, sub pœnis à sacro Concilio Tridentino, & pro arbitrio nostro seuerissimè inferendis; ne dum sanctum conferre spiritum tenent, Simoni Mago ministrent.

Sess. 23. decr. de ref. c. 5. 8. Accedant Ordinandi habitu modesto, moribus honestis, pietate Christiana referti, antequam ad ordines Ecclesiasticos accedant, qui diligẽs sit ante Mensẽ festiuo die ordinis sui promouendi publicationes in Ecclesia fidelissima denunciari, Nósque de his certiores facere, vt Prælatus corde tactus, solatio proferre valeat; gaudeo videns ordinem vestrum, fundamentum fidei nostræ. Coloss. 2.

De Exorcismis.

Marc. 16. Signa eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo Demonia eijcient. Nullus quisquis sit siue sæcularis, siue Regularis Clericus, aut Laicus quauis exemptione munitus, audeat ænergumenis per exorcismos manus imponere; vel super eosdem, vt Dæmonia eijcere tentet, perlegere, absque nostra in scriptis licentia habita sub pœna à nobis seuerissima infligenda. c. Exorcista d. 33. & 25. d. d. per lectis.

Qui in hoc dispensatus fuerit, quæstum à se procul eijciat sub eadem pæna.

Nec in domibus priuatis, seu Laicorum quis tantum munus audeat exercere, minusque in plebis multitudine, præcipuè si fœminç sint à Dçmonibus obsessç, sed

coram

coram viris, hisque paucis, moribus, ac vita probatis, atque fæminis cum omni sanctitate, ac honestate semper assistentibus.

Noscat se ipsum qui tali perfungitur munere: nam Dæmon est callidior cunctis animantibus: Prorsus igitur Exorcista sit irreprehensibilis vitæ, & omni bono pietatis, religionis, humilitatis exemplo imbutus, & tandem omni vel leuissima (si fieri potest) culpa careat, si enim pecca tores Deus non exaudit, eo minus Dæmon illos pauescit, ne insurgens in Dæmonem, aut dicens, spiritus immunde, non statim respondeat, aufer prius trabem de oculo tuo; deinceps festucam de meo eijcere tentabis.

Genes. 3. *Ioan. 9.* *Luc. 6.*

Missa igitur sacrosancta, atque communione munitus Exorcista ad tantum opus accedat, pariterque obsessus tanto operi nonnisi saltem confessus se subijciat.

Doctus pręcipue, intelligens circa exorcismorum regulas, ac præscriptas sit; non addens, aut auferens, vel minimum de exorcismorum regulis, nec curiosè cum Dæmone tempus conterat, oleumque, & operam perdat cum ænergumeni pęnalitate maxima, cum astantium scandalo, cum Dei dedecore, cum Dæmonis honore.

Honestate tandem in tactu circa marem, vel fæminam à Dæmonio obsessam pietate, ac non nisi honestissime in omnibus se gerat.

Ante solis ortum, non post occasum vllatenus exorcizare pręsumat.

Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum aperto tantum Tabernaculi ostiolo sic veneretur, & ostendat, nullo vero modo obsessorum manibus præbeat, vt pericula cum scandalis olim probata ministerium non vitupe- rent nostrum.

2. Cor. 6.

Ephes. 5. SAcramentum hoc magnum est in Christo, & Ecclesia; A primo homine proprio ore prophetante, Os *Genes. 2.* est de ossibus meis; quę verba inter coniuges arctissimũ exprimũt vinculum, tantamque debere inter coniugatos esse sanctitatem, vt maior nulla æstimari possit; Ideo iure merito in Matrimoniorum celebratione sacra Con *Sess. 24. c. 1 de ref. matr.* cilia sancto Spiritu afflata Ecclesiarum Ordinarijs summam præcipiunt in hisce contrahendis vigilantiam habere.

Facultate igitur à sacris Concilijs Nobis collata omnibus Diœcesis nostræ Curatis mandamus, vt circa Matrimonia Clandestina, nec in facie Ecclesiæ celebrata sint valde vigiles, ac diligentes: sunt enim huiusmodi *Sess. 24. c. 1.* prorsus irrita, ac nulla, præter pænas à sacris Concilijs inflictas, & pro nostro arbitrio infligendas.

Sess. 24 c. 10. Sint cauti circa denunciationes, benedictiones, desponsationes, omnes quoque horum consultores, & facinorum complices caueant sibi ipsis. Eàdem igitur die Missam in Ecclesia Parochiali audiant, ac benedictionem recipiant Sponsi, elapsis octo ad summum ab vltima denunciatione diebus, præcipimus.

Trid. ibidem Bis in anno annuncient Curati omnes Populo inter Missarum solemnia decretum de Clandestinis Matrimonijs à sacro Concilio editum.

Sess. 24. c. 7. Ad tollendam quorundam impiorum hominum audaciam Ecclesiæ sanctę sanctiones negligentium, ecce Sacrosanctæ Tridentinę Synodus de Clandestinis Matrimonijs decreta hic apponi ad litteram voluimus, vt qui tantam temeritatem attentare ausus fuerit, sciat quoque quas pænas sit inuiolabiliter propassurus.

Vagis, & incognitis non facile sine diligenti prędio fidelium testium examine vllũ admittatur coniugium,

ſub pænis in eodem Concilio, & noſtris infligendis.

Nullus Parochus alterius Parochiæ aut ſponſum aut Sponſam iungat matrimonio abſque fideli teſtimonio in ſcriptis edito illius Parochiæ, ſeu Diœceſis alterius;hocque ſit vel ſcriptura ſolemni, vel ſigillo approbatum, vel in iure confirmatum. *Ibid. c.1.*

Voluntates præcipuè vtriuſque Sponſi mutuas ſedulus penetret Parochus, & cauſas; ne, vt plurimum euenit, in cordis intimo, fraus ſub facie externa, ſinceritas appareat. *30. q. 2. c. 2. & c. de ſpon. in pub.*

In domibus priuatis, in nocte nuſquam, nec à prandio, ſed in Miſſa, & benedictione contrahat Curatus Matrimonia, & de die, atque in Eccleſijs tantum, ianuiſque penitus apertis, atque campanis ad hoc peculiare pulſatis; nec vllus Præsbiter contrahendi officium ſibi aſſumat, ſub pænis à Nobis rigidiſſimè imponendis, niſi Parochus. *Seſ.24.c.1.de ref. matr.*

Curet Parochus in Matrimonij, contractibus, vel Sponſalium ita verba clare,& dilucidè proferre,vt quæ de futuro circa ſponſalia requiruntur, ita de præſenti circa contractum exprimantur, atque ab aſtantibus pro talibus ſine dubio apprehendantur. *27.q.2.c.Suf ficit.*

Norint Parochi ante etiam Sponſalium contractum, an aliquod ſit inter contrahentes impedimentum ex multis in Iure Canonico expreſſis,tum ſpiritualibus, tũ etiam corporalibus. *Trid.Seſſ.24. de ſac. matr. per totum. ſeſſ.24.c.1. de ref. matr.*

In contrahendo filiosfamilias hortetur Curatus, an parentum conſenſu,vt ſanctus adoleſcens fecit Tobias. *Tob. 4. & 6.*

Non contrahat Parochus Matrimonium abſque noſtra de conſenſu habita licentia, etiam ſi vltima iam facta ſit in Eccleſia denunciatio.

Reſeruatum ſciat eſſe Nobis graue illud peccatum, quando Sponſi ſola fornicaria libidine ducti, ſponſalibus tantum contractis, inter ſe communicauerint, ac

coierint

coierint, vt plurimum euenit, ne sine magna à Nobis pænitentia recedant.

Ibidem Seß. 4. c. 1.

Aetatem, vt validetur contractus contrahentium, inspiciat Parochus,& animaduertat consanguinitatem super omnia, vel affinitatem in gradibus ab Ecclesia prohibitis, tum spiritualem, tum carnalem copiosè agnoscat: ne ipsemet cum contrahentibus Censuras ab Ecclesia irrogatas,& à nobis pęnas infligendas de facili incurrat.

Ibidem Seß. 24. c. 5.

Anulum sponsus in sinistræ digito manus sponsæ, qui annularis dicitur, inducat nuptialem, sed à Sacerdote ea verba proferantur: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Nuptię in Matrimonijs hortamur in Domino modestè, atque ex pietate Christiana fiant, ne misceantur sacra prophanis, aut Sacramenta Dæmoniacis; Ideo abusus illi de poculo frangendo, & huiusmodi omninò cessent.

Ibid. Seß. 24. c. 10.

Nulli celebrare Matrimonia solemniter, aut sponsas ducere penitus liceat temporibus ab Ecclesia vetitis. idest ab Aduentu Domini Nostri Iesu Christi vsque in diem Epiphanię,& à Feria quarta Cinerum vsque in Octauam Paschatis inclusiuè: Parochus enim,& Sponsi propter hoc magna patientur supplicia.

De Suffocationibus.

Vigilianti cura, ac frequenti admonitione curent Parochi, ne matres, & eorum viri in huiusmodi periculis negligentes sint, sub pæna à nobis grauissima eis irroganda, in lectulo infantes ne teneant, nisi post annum ætatis suæ expletum, vel nisi intermedio huiusmodi, vt eius mors sequi minimè possit, ne eorum negligentia sint maximæ pænitentię omnibus rigidissimũ

De ijs, qui filios occidunt c. de Infantia vltimo.

excm-

exemplum, præter corporeas, imò Excommunicationis pœnas in subsidium à Nobis ipso facto infligendas.

Conc. Trident. Sess. 24. de ref. or. c. 4.

Librum ad perpetuam rei memoriam habeant Parochi omnes, in quo diligenter Nomina, Cognomina, Annum, Mensem, Diem, Festumq; contrahentium annunnuntient, atque inscribant; Testes, Notarium, præsentesque quam diligentissimè adnotent, vt eorum in promptu sit memoria, Quosque Deus coniunxit, homo non separet.

Matth. 19.

Decretum Concilij Tridentini contra eos, qui Clandestina Matrimonia attentauerint.

Sess. 24. de refor. c. 1.

TAmetsi dubitandum non est, Clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta rata & vera esse matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit; & proinde iure damnandi sunt illi, vt eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata esse negant; quique falsò affirmant, matrimonia à filijs familias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse: Nihilominus sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est. atque prohibuit. Verum cum sancta Synodus animaduertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam iam non prodesse, & grauia peccata perpendat, quæ ex eisdem Clandestinis coniugijs ortum habent; præsertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore vxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt & cum ea in perpetuo adulterio viuunt: Cui malo, cum ab Ecclesia, quæ de occultis non iudicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur; Idcirco sacri Lateranensis Concilij sub Innocentio Tertio celebrati vestigijs inhærendo præcipit, vt imposterum

ſterum antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtiuis in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia publicè denuncietur, inter quos matrimonium ſit contrahendum; quibus denunciationibus factis, ſi nullum legitimum opponitur impedimentum, ad celebrationem matrimonij in facie Eccleſiæ procedatur; vbi Parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, vel dicat, Ego vos in matrimonium coniungo; In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; vel alijs vtatur verbis, iuxta receptum vniuſcuiuſque Prouinciæ ritum. Quod ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, matrimonium malitiosè impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denunciationes, tunc vel vna tantum denunciatio fiat, vel ſaltem Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius conſumationem Denunciationes in Eccleſia fiant, vt, ſi aliqua ſubſunt impedimenta, facilius detegantur, niſi Ordinarius ipſe expedire iudicauerit, vt prædictę Denunciationes remittantur, quod illius prudentiæ, & iudicio Sancta Synodus relinquit.

Qui aliter, quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipſius Parochi, ſeu Ordinarij licentia, & duobus, vel tribus teſtibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omninò inhabiles reddit, & huiuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti Decreto irritos facit, & annullat.

Inſuper Parochum, vel alium Sacerdotem, qui cum minore teſtium numero, & teſtes, qui ſine Parocho, vel Sacerdote, huiuſmodi contractui interfuerint, nec non ipſos contrahentes grauiter arbitrio Ordinarij puniri præcipit.

Præterea eadem ſancta Synodus hortatur, vt conium-

ges

ges ante benedictionem Sacerdotalem in templo susci piendam, in eadem domo non cohabitent: statuitque benedictionem à proprio Parocho fieri, neque à quoquam, nisi ab ipso Parocho; vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alij Sacerdoti concedi posse, quacunque consuetudine, etiam immemorabili (quæ potius corruptela dicenda est) vel Priuilegio non obstante.

Quod si quis Parochus, vel alius Sacerdos, siue Regularis, siue Sæcularis sit, etiam si id sibi ex Priuilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius Parochiæ sponsos sine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiu suspensus maneat, quandiu ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio accipienda erat, absoluatur.

Habeat Parochus librum, in quo Coniugum, & testium nomina, diemque, & locum contracti matrimonij describat, quem diligenter apud se custodiat.

Postremo sancta Synodus coniuges hortatur, vt antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonij consumationem sua peccata diligenter confiteātur, & ad sanctissimum Eucharistię Sacramentum piè accedant. Si quæ Prouinciæ alijs, vltra prædictas laudabilibus consuetudinibus, & cæremonijs hac in re vtuntur, eas omnino sancta Synodus optat vehementer retineri.

Ne verò hęc tā salubria præcepta quemque lateant, Ordinarijs omnibus præcipit, vt cum primum poterūt, curent hoc decretum Populo publicari, ac explicari in in singulis suarum Diæcesum Parochialibus Ecclesijs, idquè in primo anno quàm sæpissimè fiat, deinde vero quoties expedire viderint. Decernit insuper, vt huiusmodi decretum in vnaquaque Parochia suum robur

post triginta dies habere incipiat à die prima publicationis in eadem Parochia factę numerandos.

DE HONORE SANCTORVM.

Caput Sextum.

De Reliquijs Sanctorum.

Eccl. 30.

MORTVVS est Pater eius, sed est quasi non mortuus; O igitur Benedictus Deus in Sanctis suis, si dum peregrinamur à Domino in hac miseriarum valle, dictum est ab Apostolo, Templum Spiritus Sancti estis vos; quanto magis in fęlicitate, & Beatitudinis perpetuo domicilio degentibus? harum igitur veneratio pro gradus ratione, atque adoratione in maxima habenda est maiestate.

2. Cor. 6.

Sess. 25. de Inuo.& ven. reliq.Sanctorum.

Diligenti habita perscrutatione, vt in Visitatione nostra mandauimus, & vidimus, discernantur Reliquiæ, quæ certo nomine, vel authore carent, ab ijs, quæ Sanctorum nominibus insignitæ sunt, vt admonet vt Sacrosancta Tridentina Synodus.

Nomine vero certo in papiro, & serico panno inuolutæ cum eorundem inscriptione recondantur in vasculis Crystallinis, vt diebus tantum Christo Domino dicatis, eiusque Beatæ Virginis Genitricis Mariæ, ac Sanctorum solemnioribus super Altaria existentes, à Populis debito potiantur honore, eorum nobis sua in Cælis existentium intercessione impartita.

Reliquiaria aliqua, si adsint iam compacta, & certarum Reliquiarum referta, post statis diebus à populo ve-

nerata

nerata, vt & omnes aliæ in Ecclesia intra murum, vel in Sacristia, vel sub Altari in Armariolo aliquo, aut capsa ex ligno incorruptibili, si fieri potest, clauibus, atque seris optimè munita custodiantur; ne omnibus de facili pateant, vel in vsus prophanos,& superstitiosos illis vti quis possit.

Locus tandem tutus sit,mundus,separatus,honestus nec humiditate refertus.

Nullus deinceps intra sanctissimæ Eucharistiæ Tabernaculum illas asseruare præsumat,sed in locis supranotatis, harumque claues, ac potestas in manibus Curatorum tantum perpetuo sistat, non autem puerorum ob scandala olim experta.

Illæ, quæ vel auctore, vel nomine carent, in vnum, vel plura similia vascula, cum maxima tamen decentia colligantur, Scriptura hæc eis imponatur, Reliquiæ hæ nomine carent: vel si in frusta sint parua,possent eodem titulo in Tabellam redigi. Incertæ omninò semper in locis supradictis asseruentur, nec vnquam in propatulum proponantur.

Sine luminaribus, nec sine stola, ac superpelliceo & à Clerico tantum, nec populo proferantur, aut in loca sua recordantur, Idque omnimoda animorum, ac corporum deuotione.

C. 2. de rel. & ven. Sanct.

Notabiles Reliquiæ, vt Seraphici Doctoris, & Ciuis nostrę Balneoregiensis brachium in theca argentea inclusum, in tanta habeantur veneratione, vt suis digni fiamus intercessionibus, atque in loco iam, vt vidimus, optimè condito, & custodito asseruentur.

Horum translationem de vno loco ad alium, nullus Nobis inscijs tentare præsumat.

De cons. d. 1. c. Corpora.

Sicut Laicos dedecet, cuiusuis ordinis, ac dignitatis tractare, vel tangere Reliquias, ita nec in domibus prophanis, nec apud se portare vllo modo à purè Sæ-

cularibus probamus, nisi forte tanta essent virtute, & animi pietate, & Christiana charitate imbuti, vt quasi pro vasculis, & reliquiarijs Sanctorum ipsimet esse censeantur.

C. 2. de reliq.

A Saecularibus igitur non tangantur, nec osculandae praebeantur, sed tantum vasa, vel theca, in quibus includuntur, tactu pio, ac deuoto venerentur.

Sess. 25. de Inuoc. & ven. Sanct. & reliq. & Pius iv. const. 112

Doceant autem Curati omnes populos persaepè idiotas, quomodo inuocandi sunt Sancti; qui honor, ac veneratio eisdem debeatur in sacris Sanctorum reliquijs, ac imaginibus, vt Sacrosanctum admonet, ac praecipit Tridentinum Concilium.

De reliq. c. 2. & ven. Sanc. c. 2.

Inuentas vero de nouo Reliquias absque summi Pontificis approbatione nullus venerari praesumat.

Infra duos menses, quae de Reliquijs pro Dei, ac Sanctorum honore mandauimus, exequantur, alioquin negligentes diligentem experientur punitionem.

L. nemo c. de sacros Eccl.

Deuotè igitur, piè, honorificè eorum Reliquias adoremus in terris, quorum memoria, & aspectu ad virtutes excitamur, à vitiorum fuga deuitemus, ad Resurrectionis beatae spem gloriosam prouocemur, Deoque gloriam demus, & orationem faciamus pro reliquijs, quae repertae sunt.

4. Reg. 19.

De Miraculis nouiter accidentibus.

Ioan. 12.

AMen amen dico vobis, qui credit in me, opera, quae ego facio, & maiora his ipse faciat; Diligentem tamen quisque, si fortè Dei summa bonitate in Sanctorum Imaginibus miracula fiant, Parochi omnes vigilantiam adhibeant, statimque nos admoneant, nec ornamentum vllum, vel Altarium erectionem, vel oblationes appendere, aut Populi clamori credere vllus audeat Parochus, Curatus, aut Clericus, vel etiam Saecu-

Sess. 25.

Sæcularis, nisi prius de successu Nobis nűciato,& à Nobis veritate inspecta, cum Doctorum, ac Sanctorum virorum consultatione; atque præcipuè, de sanctissimę Illustrissimorum Cardinall. Congregationis cősilio, super hoc à nobis deuote implorato quid faciendum sit, pænitus declaretur, sub pęnis à Concilio Tridentino inflictis; & alijs à nobis irrogandis: vt aperta in beatorum miraculis Dei bonitate, ac munificentissima benignitate clamemus. Mirabilis Deus in Sanctis suis.

De Inuoc. & ven. Sanctor.

Psalm. 6.

De Imaginibus.

GLoriam Domini speculantes in eandem imaginem transformemur: Ideo Christi Domini, Beatæ Virginis, tum omnium Sanctorum Imagines semper sancta probauit Ecclesia, vt per eas ad protothipum ita mentes nostras eleuaremus, easque dignè veneraremur, vt pro illorum gradu, & honore ipsis debitum redderemus obsequium, & nobis eorum impartirentur fauorem.

1. Cor. 13. Conc. Tridtt. Sess. 4. Et Trid. Sess. 28. de sacr. Imag. Pius iv. const. 118

Caueant tamen Pictores, atque Sculptores, vt in eorum Imaginibus fingendis nil turpe, inhonestum, obscænum, superstitiosum, indecens, seu Apocriphum omnino, aut prophanum effingant, sub pænis à dicto Concilio plectendis, alijsque pro nostro arbitrio infligendis.

Idolorum igitur Gentilium, Brutorum, seu ad risum & contemptum pænitus effugiant, sed ad pietatem, & deuotionem excitantes Imagines prorsus imitentur Pictores; minus autem insolitas ab Ecclesia Imagines struere quis audeat, vel Clericus strui patiatur sub pænis eisdem.

Humi deinceps Cruces, aut Sanctorum Imagines nullus audeat imprimere, aut pingere, impressasque seu

ſeu pictas pęnitus delere, & tollere præcipimus.

Tabulas,quas ſenio,ac vetuſtate corroſas,vel ex parte carie conſumptas vidimus vbique locorum Diæceſis noſtræ pęnitus tollantur, ſic Imagines omnes aliæ ad piũ & nouum redigantur vſum.

Sæcularium quoque, imo & magnatum Imagines eas, quæ potius ad turpia ſcelera excitant, vel ad vanas, atque inanes ſine firmitate vlla mouent vanitates, imò quod peius eſt,ad gentium, Dęmoniorum ſuperſtitiones repræſentandas memoriam excitant,affectum mouent,atque ſępè à pietate Chriſtiana animos retrahunt, hortamur in Domino, vt ijs pænitus neglectis Imaginibus, vel etiam deletis, atque contritis, ſe ab ijs Idolorum periculis,quæ & æternas poſſunt inducere pęnas, & perpetuo, ſummoque priuare bono, abſtineant.

26.q.4. Sciendum.

Admoneant ſępè, ac dilucidè Curati populos, præcipuè Idiotas, & rudes in veneratione ſanctarum Imaginum nihil eſſe fiduciæ in illis figendę, vel aliquid ab eis petendum, vt olim fiebat à Gentilibus, qui ſpem ſuam in lignorum, atque ſaxorum Idolis ponebant, ſed per has ad Prototypum, cuius illæ ſimilitudinem gerunt, honor referatur; Ideo has oſculando, ſalutando, venerando, Chriſtum Dominum, ac Sanctos ipſos veneramur, cum Sanctis ſancti ſimus, nec cum Idolorum imaginibus peruertamur.

Trid.Seſſ.25. de Inu.& vener.Sanctorũ & de conſ. d. 3.c. perlatũ, & c. ven.

Pſalm.14.

De Indulgentijs.

Matth. 9.

SI tetigero tantum fimbriam veſtimenti illius, ſalua ero. Attamen abuſus Indulgentiarum, quoad fieri poteſt à Nobis tollendus eſt, vt vel ignorantia,vel ſuperſtitione, aut irreuerentia, quæ aliquando irrepſerunt,deinceps non repetantur.

Sciant

Sciant ergo omnes Indulgentiarum Bullas tantum valere, quantum illæ sonant, idcirco si id, pro quo, vel ea per quę Indulgentiæ conceduntur, ideſt cum omnibus, & totalibus in eiſdem Bullis, circumſtantijs contentis minimè opere compleantur, nihil de conceſſis conſequi Indulgentijs; piè igitur, deuotè, contritè operetur in hoc quiſque neceſſe eſt.

Conc. Trid. Seſſ. 21. decr. de Ind.

Concionatores, nec alius quiſquis ſit, Indulgentias publicare ſine noſtro cõſenſu expreſſo minimè audeat, etiam ſi quouis modo exemptus, ſub pænis Conciliorum, & noſtris.

Seſſ. 21. c. 9. de ref.

Nec Indulgentiarum literas ad eleemoſynarum capſas quis affigat, ſed in Altari Maiori, vel in eo, vbi Imago Sancti illius erigitur, & veneratur, vel non ſine licentia Epiſcopi in prædicta capſa collocentur in loco valde honorifico.

Ibidem.

Parochi ſæpius Indulgentiarum valorem, & theſauros populo annuncient, vt inde ſciant maximam Dei liberalitatem hiſce modicis, ac breuibus pænis, Purgatorij maximas, eaſque diuturnas euadere; vel ita infælices animas in Purgatorio degentes adiuuare; vel etiã per orationes, aut facillimas corporum ſatisfactiones, atque faciles carnis afflictiones, ſuffragando illis adiuuare; modico enim labori hic aſſueſcere, vt grauiſſimum, atque importabile pondus effugiamus, expedit nobis. Etenim bonum eſt viro, ſi portauerit iugum ab Adoleſcentia ſua, vt tempore fertilitatis recordemur ægeſtatis.

Conc. Trid. Seſſ. 21. decr. de ref.

Thren. 3.

De Diebus Feſtiuis, eorumque Obſeruantia.

Reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi: Feſtorum cultus in Dei, & Sanctorum laudes maximè frequens, ac religioſus eſſe debet, ex ſacrorum Conci-

Pſalm. 75. Seſſ. 25. de Inuoc. Sanctorũ & de del. cib.

Constit. Pij V. de obseru. fest. 1556. const. 5.

Conciliorum, & summorum Pontificum decretis subsequentia propemodum continentibus: Ideo hortamur omnes, ne secordes sint, aut in horum obseruatione negligentes, vt seuerissimas eorundem Decretorum, ac pro nostro arbitrio pænas effugiant.

Prædictis igitur sacrorum Decretorum Canonibus innixi, districtè mandamus, ne diebus Festis sub quouis colore, aut prætextu quisquis sit, & cuiusuis nostræ Diæcesi subiectus, tam Clericus Sæcularis, quam Regularis, nec non Laicus quicunque vtriusque sexus audeat diebus à Sacrosancta Ecclesia Romana institutis Festiuis; vendere, emere, contractare; manualia opera exercere; Villicas operationes agere; Bestias onustas, vel etiam exonustas ducere, ac reducere; seruilia opera facere; Mercatus, nundinas contrahere; collectas, vel taleas exigere; Choræas, & tripudia ducere; Scænicas artes, vel torneamenta tractare: Spectacula, & circulationes fieri, Actus iuridicos in nullo foro exerceri, Apotechas apertas teneri, & id genus omnia, & singula penitus aufugere districtè mandamus.

de Cons. d. 3. c. Irrelig.

de ferijs cap. conquestus

de consecr. d. 3. c. 1.

Concedimus tamen, & declaramus pro vsu victus necessarij, & pro infirmis posse cibos, & medicinas vendi, ac emi in tota Diæcesi nostra Festiuis etiam diebus pro vitæ sustentatione, & sanitatis recuperatione.

Populos moneant Parochi, vt diligentes sint in supradictis cuitandis, & decretum hoc publicent diebus post Natiuitatem Domini, vel tertio, vel quarto die transactam.

Conc. Trid. sess. 24. dcr. de ref. c. 4.

Moneant insuper hiscè diebus diuino cultui dicatis Iuuenes, & Virgines, Senes, cum Iunioribus sanctissimo Missæ Sacrificio semper adesse Vesperarum quoque in Ecclesia Officijs cum animi attentione, atque deuotione interesse; Concionesque cum omni modestia, ac pietate audire, mente retinere, verbi Dei factores esse.

In pie-

In pietatis tum corporalibus, tum spiritualibus operibus deinceps occupati, vt occasione vanitatum, ac peccandi relicta, & fugata, virtutum exercitijs incumbant. *44.d. c.Com.*

Sub Festorum nomine intelligimus quoque dies illos, qui vel Patrono illius loci, vel de consuetudine, aut deuotione ibidem mos est celebrari, ac venerari. *cap. licet. de ferijs.*

De Festorum dierum mandato sciant omnes eam Ecclesię Sanctæ fuisse intentionem, vt homines ex tanto temporis decursu in vanis, atque temporalibus, (ne dicam otiosis,) prorsus occupati, inter hebdomadam aliquis Deo daretur cultus tanquam omnium Creatori, Sanctis laus, nobis erga eosdem gratitudo, cum sanctorum morum imitatione, atque eorum fructus consecutione. *Ibid.*

Volumus autem, & hic Festa totius anni in nostra Diæcesi obseruanda subimprimi, ne alicui excusationis sit locus, imo & in Carta ad Ecclesiæ valuas affigi, & in Sacristijs omnibus Diæcesis nostræ conseruari.

Ianuarius.

1. Circuncisio Domini nostri Iesu Christi.
6. Epiphania Domini nostri Iesu Christi.
17. S. Antonius Abbas.

Februarius.

1. Purificatio Beatæ Virginis Marię.
24. S. Matthias Apostolus.

Martius.

25. Annunciatio Beatæ Virginis Marię.

Aprilis.

25. S. Marcus Euangelista.

Maius.

1. SS. Philippi, & Iacobus Apostoli.
3. Inuentio Sanctissimæ Crucis.

Iunius.

24.	Natiuitas sancti Ioannis Baptistæ.
29.	S. Petrus Apostolus, ac summus Pontifex, atque Paulus Apostolus.

Iulius.

2.	Visitatio Beatæ Virginis Mariæ.
14.	S. Bonauentura Confessor, Protector Ciuitatis huius, atque oriundus.
25.	S. Iacobus Apostolus.

Augustus.

1.	S. Petrus ad Vincula.
7.	S. Donatus Episcopus, & Patronus Balneoregiensis.
10.	S. Laurentius Martyr.
15.	Assumptio Beatæ Mariæ Virginis.
22.	S. Ildribandus huius Ciuitatis Episcopus.
24.	S. Bartholomæus Apostolus.

September.

8.	Natiuitas Beatæ Virginis Mariæ.
21.	S. Matthæus Apostolus.
29.	S. Michael Archangelus.

October.

28.	SS. Simon, & Iudas Apostoli.

Nouember.

1.	Omnium Sanctorum festiuitas.
25.	S. Catherina Virgo, & Martyr.
30.	S. Andreas Apostolus.

	December.
8.	Conceptio Beatæ Virginis Mariẹ.
13.	S. Lucia Virgo, & Martyr.
25.	Natiuitas Domini nostri Iesu Christi.
26.	S. Stephanus Prothomartyr.
27.	S. Ioannes Euangelista.

Mobilia Festa.

Dominici dies omnes totius Anni.
Pascha Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi cum duobus sequentibus diebus.
Ascensio Domini nostri Iesu Christi.
Pascha Pentecostes cum duobus sequentibus diebus.
Corporis Domini nostri Iesu Christi solemnitas.
In vnoquoque Diœcesis Castro, ac Villa Festum Ecclesiæ illius Parochialis.
Patroni omnes Sancti, ac Aduocati cuiuscunque Castri, ac Villæ.

Kalendarium Festorum, quæ in Diœcesi Balneoreg. celebrantur, prẹter Festos dies ab Ecclesia Catholica ex præcepto obseruandos, & præcipuè ab Ecclesiis Diœcesis.

In partẹ Ciuite.

14. Augusti	SAnctus Donatus Martyr, & Episcopus Balneoreg. duplex cum octaua per totam Diæcesim.
22. Augusti	S. Ildibrandus duplex.

23. Decembris.	S. Victoria Virgo, & Martyr, cuius extant notabiles Reliquiæ duplex.
14. Iulij.	S. Bonauentura Episcopus, & Confessor, & Ecclesiæ Doctor duplex cum octaua in tota Ciuitate.
8. Decembris.	Conceptio Beatę Mariæ Virginis supra portam Pontis duplex.
18. Februarij.	S. Simeon Episcopus, & Martyr semiduplex.
9. Nouembris	Præsentatio Beatæ Virginis Mariæ Ma iestatis, duplex.
21. Nouembris	Basilica Saluatoris extra mænia. duplex
29. Iunij.	S. Petrus Apostolus, & Pontifex duplex cum octaua per totam Diæcesim.

In Parte Rotæ.

6. Decembris.	S. Nicolaus Episcopus & Confessor Collegiatæ Patronus duplex, cum octaua, ibidem.
11. Nouembris	S. Martinus intra mænia Episcopus, & Confessor duplex.
29. Septembris	Dedicatio sancti Michaelis Archangeli, duplex.
17. Ianuarij.	S. Antonius Abbas duplex.
25. Nouembris	S. Clemens Papa, & Martyr. duplex.
1. Septembris	S. Egidius Abbas extra mænia in Ecclesia Beatę Mariæ Virginis in Ponzano, semiduplex.

15. Augusti.	Assumptio Beatę Marię Virginis in Ecclesia sancti Ioannis Ruralis in Magione, duplex.
7. Augusti.	S. Donatus Vitrioli Episcopus & Martyr duplex.

In Castro Lubriani.

29. Augusti.	S. Ioannes Decollatus, duplex.
2. Julij.	Visitatio sanctæ Mariæ in Caua extra mænia duplex.
25. Martij.	Annunciatio sanctæ Mariæ in Suntina. duplex.
25. Nouembris	S. Catherina Virgo, & Martyr extra mænia, duplex.
14. Aprilis.	S. Valerianus extra mænia, duplex.

In Villa Vaiani.

25. Martij.	Annunciatio Sanctæ Mariæ Virginis, duplex.
16. Maij.	S. Vbaldus, duplex.

In Castro Sermognani.

31. Decembris.	S. Siluester Papa, & Confessor extra mænia duplex.
8. Septembris	Natiuitas sanctæ Mariæ Virg. duplex cum octaua vbique.

In

In Villa Turris Montium.

8. Septembris	Natiuitas sanctæ Mariæ Virg. duplex cum octaua vbique.

In Villa Castelloncij.

Natiuitas Beatę Virginis Marię.

In Castro Castiglionis.

24. Iunij.	Natiuitas sancti Ioannis duplex cum octaua vbique.
5. Augusti.	Dedicatio sanctæ Mariæ ad Niues extra mœnia duplex.
16. Augusti.	S. Rochus Confessor extra mænia. duplex.
13. Decembris.	S. Lucia Virgo, & Martyr extra mænia duplex.
1. Maij.	SS. Iacobus,& Philippus in Valdensia, extra mænia duplex.
1. Septembris	S. Egidius Abbas extra mænia semiduplex.
8. Septembris	Natiuitas sanctæ Mariæ in Porchiano extra mænia duplex cum octaua vbique.
21. Martij.	S. Benedictus Abbas extra Mænia duplex.
15. Augusti.	Assumptio Beatæ Marię Virginis. duplex.

In Castro Ciuitellæ.

29. Iunij.	S. Petrus Apostolus duplex cum octaua vbique.

S. Cali-

14. Octobris.	S. Calixtus Papa, & Martyr. duplex.
15. Augusti.	Assumptio Beatæ Virginis Mariæ extra mænia duplex cum octaua vbique.

In Castro Perij.

29. Septembris	Dedicatio sancti Michaelis Archangeli duplex.
13. Decembris	S. Lucia Virgo, & Martyr extra mænia duplex.

In Castro Graffignani.

11. Nouembris	S. Martinus Episcopus, & Confessor. duplex.
6. Nouembris	S. Leonardus Confessor semiduplex extra mænia.

In Castro Montis Caluelli.

15. Augusti.	Assumptio Beatæ Virginis duplex cum octaua per totam Diœcesim.
26. Decembris.	S. Stephanus Prothomartyr duplex.
27. Decembris,	S. Ioannes Apostolus, & Euangelista, duplex.

In Castro Sipuciani.

15. Augusti.	Assumptio Beatæ Mariæ Virginis duplex cum octaua vbique.
8. Decembris	S. Nicolaus Episcopus, & Confessor. duplex.

In

In Castro Mugnani.

22. Ianuarij.	S. Vincentius Martyr duplex.
2. Maij.	S. Liberatus Martyr duplex.
16. Augusti.	S. Rochus Confessor duplex.

In Castro Podimartij.

15. Augusti.	Assumptio Beatę Marię Virginis duplex cum octaua vbique.
4. Augusti.	S. Donatus Episcopus, & Martyr extra mænia duplex.
24. Aprilis.	S. Anselmus Episcopus, & Confessor ob venerabile eius integrum corpus duplex.
16. Augusti.	S. Rochus Confessor duplex.

In Castro Soriani.

	Solemnitas sanctissimæ Trinitatis extra męnia duplex.
1. Septembris	S. Egidius Abbas extra mænia. semiduplex.
8. Maij.	S. Angelus duplex.

In Castro Vitorchleani.

15. Augusti.	Assumptio Beatæ Marię Virginis duplex cum octaua vbique.
	Solemnitas sanctissimę Trinitatis. duplex.

Natiui-

24. Iunij.	Natiuitas ſancti Ioannis Baptiſtę extra mænia duplex cum octaua vbique.
29. Iunij.	S. Petrus Apoſtolus extra męnia duplex cum octaua vbique.
9. Nouembris	Dedicatio Baſilicæ Saluatoris extra mænia duplex.
8. Maij.	Apparitio ſancti Michaelis Archangeli extra męnia duplex.
17. Ianuarij.	S. Antonius Abbas intra męnia. duplex.
21. Ianuarij.	Sancta Agnes Virgo, & Martyr duplex.
16. Augusti.	S. Rochus extra mænia duplex.

In Caſtro Rocchæ Veccij.

25. Ianuarij.	Conuerſio Sancti Pauli duplex.
16. Augusti.	S. Rochus Confeſſor duplex.
29. Septembris	S. Angelus duplex.
1. Septembris	S. Egidius Abbas duplex.

DE ECCLESIÆ MINISTRIS, *atque eorum Officijs, & muneribus.*

Caput Septimum.

1.Tim.4.

Sess.24. c.12. & 13.

MINISTERIVM tuum imple; ait Apostolus; Quare Ministris Ecclesiarum cunctis, hicque à nobis infra notandis loquitur Apostolus. Igitur ordinatè in Dei ministerio maximè procedi debet ex Sacro Tridentino Concilio, inter Clericos præcipuè, ac dignitates Ecclesiæ id oneas, vt Gloria sit Deo, Honor Sanctis, Pax viuis, Requies defunctis. Quisquis igitur suam agnoscat dignitatem, honorem, atque Dei cultum conseruet, fidelibusque cunctis se fidelem Christicolam exemplo ostendat.

Sess.22. decr. de ref. c.4.

Quicunque autem sacro Ordine insignitus est, vel etiam minori, si pro tempore, & occasione Ecclesiæ non inseruierit, eiusdem Concilij censuris, ac pœnis subijcietur præter Ordinarij arbitrium.

In particulari autem primò de Archipræsbytero Balneoregiensi.

Matth.5.

C.Si Praesbyt. 26. q.6.

SI sal euanuerit, ad quod valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus? Quamobrem Archipræsbyter, vt præcipua dignitas est post Episcopalem in nostra Diœcesi, sit quoq; in omnibus quasi Episcopi oculus; vigilans circa Dei cultum, & opera charitatis spiritualis, ac corporalis Christiana, præsertim verò aliorum excessus corrigere, dissidias componere, pacem inter Clericos, & Seculares conseruare, diui-

diuina Officia ordinare,abſentis Epiſcopi totius Cathe dralis Eccleſiæ vices gerere,& Collegiatas inuiſere,bonos mores probare, prauos punire, & cum Vicario noſtro, vel pro Vicario conſulere, vt inuiolabilis Dei honor perpetuetur; Capitula, & Cleri Congregationes ſtatutis temporibus cogere, ijſque, quibus in Eccleſia pro eiuſdem bono regimine prouidendum eſt, matura conſultatione, atque animorum vnione ſtatim prouidere: & tandem vt quiſque Clericus in ſuo munere diligens ſit, & accuratus, atque operis expletor exiſtat, vt in Choro ordo hierarchicus Eccleſiæ Dei ſpiritualis vel ad minimum ne diſtorqueatur; vt in nouiſſimo petitus Domino reſpondere poſſit; Præbui me ipſum alijs exemplum bonum. *1. Tim. 2.*

De Sacriſta.

EGo ſumſtans iugiter per diem ſuper Cuſtodiam meam, ego ſum ſtans noctibus cunctis; Igitur diligens, pius, cautus, modeſtus, & vigil ſit Sacriſta, neceſſe eſt. *Iſa. 21.*

Eccleſiæ totius munditiæ, maximè attendat, Vaſa, veſtimenta, ornamenta, luminaria, cereos, oleum, libros, & neceſſaria cuncta pro Horis Canonicis, ac ſacris faciendis fideliter, ſanctè, & promptè adminiſtret. *De officio Sacriſta d. 25. Perlectis vbi omnia edocētur, & Pius V. conſt. 5. Conc. Tridēt. Seſſ 24. decre. de ref. c. 12.*

Prophana cuncta, turbas, eoque magis iurgia, & rixas ab hoc loco ſeueriſſimè arceat, nec Laicos huc ſe intromittere patiatur, ſub pœna à ſacris Concilijs, & Canonibus, ac Pontificibus inflicta, & vtriſque maiori à Nobis ſibi, & contrauenientibus infligenda.

Aquam benedictam ſingulis hebdomadibus, & ſæpius, ſi opus ſit, renouet. *De conſ. di. 3. Aquam. 86. d. Pulchra*

Altarium præcipuè ſordes, pulueres, atque ſedilium expurget quam ſæpiſſimè immunditias.

25. de Perlectis.

Sedulus in ministerio celebrantium, ac Sacrum facientium sit, & constans, & pius.

Pius V. const. & de Off. Sacrista ex Cōc. Tol. c. 1. 2.

Ordinatè, compositè, deuotè, vestire, exire, & sacra incipere Sacerdotes admoneat, & curet, ne vel Missæ omnes simul celebrentur, vel adeò distent inter se, vt maximam afferant populo incommoditatem.

86. d. Non satis §. item perfecta.

Altare Maius super omnia diebus Festiuis ornabit pro tempore, vel floribus, vel ornamentis tanto loco decentibus.

Campanæ signum diebus Feriatis duplex emittet, nec inter se vnitum, & continuatum, sed interpositum saltem per dimidiæ horæ quadrantem, deinde cum campanula aliud signum post aliud tantum temporis interponatur, vt vocati commodum habeant se præparandi ad Ecclesiam venire, non autem (vt sæpè euenit) finita Campanæ pulsatione, illicò & Sacra, vel Horæ finitæ sint, vnde in vacuum properant ad Ecclesiam Dei, viri, ac mulieres: diebus verò festiuis tertium addet signum, & nec minus temporis quam dimidiam horam in pulsatione Campanarum separatim quoque impendet.

Et vt confusa illa, atque præceps, & indeuota Horarum recitatio præcipuè ad Vesperas, & ad Missas in Ecclesia decantatas vitetur, vbi Hebdomadarius pro sua, non autem pro aliorum, & populi commoditate postponit, vel anticipat sine proportione Horas Canonicas; Volumus, & districtè mandamus, sub pæna Nobis grauissima reseruata, quod Missa maior, seu decantata non prius, tempore æstatis, quam hora diei duodecima decantetur, Verno autem tempore, hora decimaseptima: Ad Vesperas in æstate decimanona, Hyeme vigesima.

De Consf. d. 1. vestim.

Vestibus sacris nusquam patiatur intra, vel extra Ecclesiam Laicos vti, vel Altaria, & eorum supellectilia in pro-

in prophanos vſus detorqueri.

Portarum,Feneſtrarum Eccleſiæ totius tempore deſignato ſit vigilans cuſtos,præcipuè verò vbi vrget neceſſitas, poſt dimidiam noctis horam oſtia & claudat, ſeriſque atque peſſulis optime muniat.

Scandaloſos,Infideles,Excommunicatos maximè ab Eccleſia arceat, atque depellat; Canes, & Bruta ſeueriſſimè dimoueat. *D 23.c.Oſtiarius.*

Diligens ſit in omnibus neceſſarijs ad Officia ſacra peragenda, promptus, conſtans, atque vigil,& perſeuerans à mane ad Veſperas, in conſeruando, in reparando, imò & augendo quæcunque ad Eccleſiæ miniſteria pertinent; qui ſi in dictis, & alijs ſimilibus defectibus inuolutus reperietur, præter pænas ſupradictas, alijs à Nobis valde grauiſſimis onerabitur. *25.d.Perlect.*

Sint autem in Sacriſtia omnia ad ſacrum peragendũ communia, eaque munda, atque terſa; & tandem pro aduenis celebrare cupientibus omnia ad celebrationẽ neceſſaria; ne tantum alicui approbato Sacerdoti denegetur pro defectu neceſſariorum Sacramentum; vel in ſordibus, ac indecentibus miniſtrans quis ſcandalizetur, & ſuper diuina nauſeet miniſteria, hocque ſub pæna graui à Nobis arbitranda, & toti Capitulo infligenda. Neque ſacræ iſtæ veſtes, & alia ſupradicta ad ad aliumvſum ab alijs hominibus quàm ſacratum quouis prætextu adhibeantur. *De conſ. d.1 veſtimenta.*

Vnum ſtatuimus Sacriſtam, qualem deſcripſimus, à Capitulo in Cathedrali noſtra,ac à totius DiæceſisCollegiatis in eorum Eccleſijs eligendum, & per anni integri ſpatium duraturum,cum facultate ſibi Sacriſtanum inſeruiendi electiua, cui imperet, & mandet omnia, quæ ad templi munditiam,cuſtodiam, atque conſeruationem, ad Deique honorem ſunt conuenientia, præcipuè circa omnia ſupradicta, & Eccleſiæ ſupellectilia, *Ibidem.*

ſuper

super cuncta mundissima in Altari,& Sacra deferenda, à populo videnda, Deo offerenda.

De conf. d. 3. Pronuncian. Annunciet semper Sacrista pro tempore,& in maiori Populi comitatu Festa per hebdomadam occurrentia; Vigilias quoque,& Ieiunia incidentia.

Leu. 6. Lampas semper ante Altare ardebit, ergo caueat ne extincta reperiatur.

23. de Sacrastas. Mulieres à quacunque Ecclesiastica functione arceat, nec in Lampadibus, Altaribus, Defunctis, eas se immiscere vllatenus sub pęnis supradictis permittat, vt

Abach. 2. Domino pro tempore dicere possit. Ego sum,qui super custodiam steti.

De Punctatore.

Hierem. 22. SCribe virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur; Idcircò Punctator creabitur pro obseruandis Ecclesię sacræ ritibus, qui Hebdomadarius esse poterit, tum in Cathedrali, tum in Collegiatis nostrę Diœcesi subiectis.

Sit autem hic vigil, fidelis, ac diligens in eius muneribus obeundis, ne aliorum culparum pænas ipse patiatur, nisi rectè iudicet, & diligenter contumaces in Tabella punctet, quod modò sancimus, vt de pænis infra tangendis, nullo habitu personarum, aut graduum respectu.

Nullus Punctatoris officium sub pæna suspensionis, ac Beneficiorum fructuum priuationis, alijsque pro arbitrio statuendis nostro, audeat repellere.

Tabella in Sacristia existat,vbi omnium nomina sint descripta Clericorum, tum in Sacris, tum in minoribus ordinatorum, & Ecclesię inseruientium.

Iuret se in officio pro tempore existentē, fidelem diligentiam adhibiturum, atque omnes Clericorum omissio-

omissiones, defectus, delicta in Ecclesia patrata, vel inobedientias, seu negligentias commissas signaturum.

Punctet eos, qui in Hebdomada propria munera sua non obibunt, atque cæteros in suis functionibus deficientes, circa prçcipuè diuina Officia, Horas Canonicas, & Sacra peragenda negligentes, prçsertim verò si non aderint tempore statuto in quacunque Hora, & ministerio Ecclesiæ peragendo omnes simul.

Munera, obsequia, vel excusationes acceptans illicitas, nec sufficientes, prædictis subiaceat pænis.

Tabellam, seu librum Punctatorum, & iam contumacium existentium in fine cuiuscunq; Mensis ad Nos fideliter deferri sub eisdem pænis sancimus.

Pænas, seu pecunias à Transgressoribus in his exactas diuidi statuimus, quarum dimidietatem inter alios distribui volumus, altera verò dimidietate Sacristiæ necessitatibus applicata.

Transgressor, ac negligens hos ordines, atque decreta, pçnas incurret irremissibiliter à nobis grauissimas: Omnes igitur fideliter scribantur in libro tuo Domine. *Psalm. 138.*

De Capitulo, & modo habendi illa.

VBi non est Gubernator, Populus corruet, salus autem, vbi multa consilia; Quoniam regimen totius Ecclesiæ particularis, post Ordinarij decreta, prçcipuè à Capituli consultatione operatiua dependet, Ideo decernimus in Ecclesia nostra Cathedrali, & totius Diçcesis Collegiatis, decimo quinto quoque die, & sæpius simul vniri, & necessarijs Ecclesiæ rebus sedulò cum maxima animorum pietate, ac concordia prouideri. *Prouerb. 11.*

Suffra-

C. cum in cũctis de elect. c. cum inter 4.

Suffragijs, vel Calculis (vt aiunt secretis) in vnum conclusis, vota fideliter agendorum perspecta pronuncient, quorum partes duæ ad decretandum, vt moris est, sufficientes erunt, statimque in librum Decretorum referant, & quam citius sub pæna à Nobis arbitranda, opere compleant, Idque munus erit Camerarij pro tempore existentis, atque singula proponentis pro necessitate Ecclesiæ occurrenti.

Et quia animi passiones, quandoque per labia prorumpunt, vnde persæpe maximæ cum scandalo audiri possunt & aliquæ commotiones, & decreta ipsa Capitularia; ideo decernimus in loco remotiori, quantum fieri possit, & audientium auribus, & oculis sequestratiori prædicta cogi Capitula, atque hic omnia in Domino, & vnanimiter decretari, atque à promulgatione huius Synodi vnumquodque Capitulum, & Collegiata Ecclesia, post quindecim dies locum certum, & perpetuum ad Capitula ipsa decernenda eligant, Intimatione horæ, diei, & loci prius facta.

Vtque propria auferatur passio, præcipuè verò affinium, & consanguineorum; mandamus ne pro huiusmodi his coniunctus Canonicus vsque ad secundum gradum, in Capitulo pro re à se proponenda, votum habere possit, nec dum huiusmodi negocium ad se spectans, vel ad prædictos consanguineos conficitur, Capitulo interesse queat.

Si ex aliquo accidenti semel proposita negotia effectum minimè sortita sunt, absque noua causa, vel facti variatione nullo pacto eamet iterum proponi in Capitulo possint.

Capitulum teneatur in posterum de omni perpetuo contractu certum eligere Notarium, qui fideliter rogatus, atque ex pacto conuentus pro eius debita mercede, dictos Contractus, seu Instrumenta in Capituli li-

brum

brum fideliter, atque authenticè includere, & rescribere debeat, Idque ad perpetuam rei memoriam, & Ecclesiæ bonorum conseruationem.

Capitulum quantumuis exemptum à nobis conuocatum, vt bono Ecclesiæ consuleretur, nunquam statim obedire non præsumat, ex Concilio Tridentino. *Seß. 25. c. 6. de ref.*

Ordine seruato quisque sedeat, & suam proferat sententiam, ne dolus aliquis, aut confusio, sub pæna à Nobis arbitranda, incurratur.

Quod pariter districtè seruabitur, si inter consultationes aliquæ detegentur rixæ, vel inter Capitulares contumeliæ.

Vbi autem discordes inter se erunt Clerici, Episcopum adeant, vt semota animi passione, vel rei interesse, & cognita rationabili decisione, ab ipso pacificè componantur; vt hæc sint decreta, In Concilio iustorũ, & congregatione. *Psalm. 110.*

De Camerario, seu Procuratore.

HIc iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur; constat enim quod ordo rerum optimarum, & exequendorum operum requirit, vt alicui certæ personæ peragenda negotia demandentur. *1. Corinth. 1.*

Ideo singulis annis Capitulum creabit Camerarium, qui, & bonorum Ecclesiæ curam habeat, & quam fidelissimè eiusdem negotia sollicitus tractet, hicque sit ex Canonicorum numero; Munus autem huius erit hoc. *89 d. Diaconũ & c seq. 9. q 3 cum si mus.*

Bona omnia Ecclesiæ immobilia, mobilia, & se mouentia in Librum, seu (vt dicunt) Catastum reducere, & exigere, gubernare, custodire, defendere, recuperare, ac fideliter cuique pro sua persona distribuere. *12. q. 4. c. 1.*

Sub pæna à Concilio Tridentino Seß. 22. & à Nobis augenda, tanquam Ecclesię bonorum vsurpatori, *Conc. Trid. decr. de ref. c. 11.*

& dilapidatori.

Idem in omnibus etiam Colleglatis, ne dum in Cathedrali obseruetur.

Fructus vero omnes in vnam colliget massam, vt quisque omissis rixis, atque iniurijs, de bono fructu, minus bono, ac deteriori participet, sine vlla personarum acceptione.

Seß. 22. de reform. c. 11. In alienatione bonorum Ecclesiasticorum, atque negligenti eorumdem recuperatione seuerissimè mulctabitur Camerarius ipse cum toto Capitulo iuxta Concilium Tridentinum supra signatum.

12. q. 2. nobis Bona quoque Ecclesię cuncta recuperare, lites inceptas terminare, suscitatas prosequi, occultas suscitare, & quam citius omnia bona ad Ecclesiam spectantia recuperare non tardet, adhibita Capituli consultatione: ne contra iuramentum coram Deo de bonis Ecclesiæ recuperandis, conseruandis, ac augendis, & in manibus Ordinariorum prȩsertim emissum, eius conscientia grauissimè oneretur, atque à nobis per censuras, & alias mulctas, tum spirituales, tum temporales iustissimè plectatur.

Anno peracto, nisi expediet eidem Capitulo, eundem confirmare Camerarium (quod semel tantum concedimus) nouus creabitur.

De omni administratione peracta rationem integrã reddet prȩteritam.

10. q. 4. c. 1. Obseruet autem penitus totius anni redditus in suo libro redigere fideliter, vt peracto anno, atq; reddita suę villicationis ratione, in Librum deinde magnum Capituli, eadem prorsus inscribi possint, ac debeant atque ipse anni elapsi Camerarius curam habeat scriptionis huius ad perpetuam rei memoriam.

Iuret ante administrationem in totius Capituli præsentia, se fideliter quæcunque pro Ecclesia tractaturũ

in eius

in eius vtilitatem euidentem, atque superfluorum expensas fugientem, in debito munere obeundo, in fideliter bono Ecclesiæ conseruando, & dispensando, vt Dominum audiat dicentem: Euge serue bone, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.

Matth. 25.

De Distributionibus.

SAcrosanctum Concilium Tridentinum in hoc valde obseruandum est circa tertiam fructuum partẽ, vt pro ratione dignitatum, personarum, ac Officiorum, quisque sua gaudeat portione fideli.

Sess. 22. c. 3. decr. de ref.

Vbi nullæ in Horis quibusdam ex Ecclesiarum consuetudine particulariũ assignantur distributiones quotidianæ, vel ob Beneficiorum tenuitatem, vel Ecclesiæ particularis consuetudinem, eiusdem decreta seruentur.

Item Sess. 24. c. 12. de ref.

Hi vero, qui tempore Horarum, ac diuinorum Officiorum abfuerint, nullis prorsus gaudeant quotidianis Distributionibus, sed inter astãtes fideliter diuidantur, vt supra de Punctatore.

Ibidem Con. Trid.

Vt Dominus Iudex, & præmiator iustus dicere possit; Et tu Israel seruus meus, quem elegi.

Isa. 41.

De Residentia, & absentia Clericorum.

OPortet semper orare, & nunquam deficere: tantus est miseriarum nostrarum cumulus, vt præter quam quod ex debito deuincimur, pro munere, quo fungimur, vt vel in modico cessantes corruamus; Necessaria adeo est in proprijs Ecclesijs Clericorũ, Prelatorum, ac Curatorum residentia, vt sanctissima emiserit sanctum Tridentinum Concilium Decreta sub fru-

Luc. 18. Sess. 23. de refor & Sess. 6. c. 1. de ref. & c. 2. & const. Pij 4. anni 1564. & con. 17 & Pij v. const. 64.

ctuum Ecclesiarùm amissione, quæ præter pęnas à Nobis addendas inuiolabiliter adijcimus, & obseruari mandamus nulla temporum, aut personarum habita ratione.

Immo Curatis cunctis Ecclesiarũ iubemus hæc sãcta Ecclesię Catholicę decreta in nostris Ecclesijs quotannis promulgari, scilicet Prima Aduentus Dominica, & in sanctissimæ Resurrectionis solemnitate.

Trid. ibid. Qui verò per tres Menses ab Ecclesijs suis in nostra Diæcesi abfuerit, eo ipso Beneficijs omnibus priuari decreuimus iuxta sacri Concilij Tridentini dispositionem.

Singulis diebus statutis temporum Horis ad Sacra Ecclesiæ officia conueniant omnes, & singuli, tum Cathedralis, tum Collegiatarum Diæcesis nostræ Ecclesiarum, nisi aliud probata consuetudo, vel Clericorum commoditas pro Ecclesiæ qualitate Nobis expedire videbitur.

Sess. 6. c. 2. & sess. 22. c. 12. Nemo audeat pernoctare extra Ciuitatem, vel Castrum, vel propriam Parochiam sine nostra in scriptis obtenta licentia, nec per Substitutum quis audeat personale munus Ecclesiasticum supplere; qui aliqua beneficia etiam non curata obtinent, iure, & consuetudine in proprijs resideant Ecclesijs, ex eiusdem Concilij decretis, & ipsi Ecclesiæ inseruiant.

Sess. 23. c. 16. & 4. & sess. 22. c. 4. In Ordine quoque minori, vel sacro constituti nouerint se ab eodem sacro Concilio ad Ecclesiæ ministerium, ac seruitia obligari, & sub pænis grauissimis, & alijs Ordinario reseruatis inuiolabiliter puniri, quas vt euitet, quam sæpissimè Sacerdos ingrediatur *Psalm. 29.* Templum Domini, vt sanctificet illud.

De

OStendas Populo cæremonias, ritumque colendi; Etenim ritus ſacroſanctę Eccleſiæ adeo ſunt miſterioſi, ac venerandi, vt ordine horum ſecluſo, Babilon potius, quam Eccleſia erit Dei Templum.

Exo. 18. Conc Trid. Seſſ.4 Cā 15 Seſſ.22.de ſa. ord. c. 1. Canon.5.

Ideo capiti vno ſtandum eſt, à primaque Dignitate ad vltimum vſque puerorum ordinem iurè merito obediendum erit.

Omnes igitur, nullo excepto, ita Cæremoniarum Magiſtro ſubiecti ſint, vt illius nutui in omnibus Eccleſiæ functionibus animi, ac corporis promptitudine ſtatim obediant, ſtando, ſedendo, loquendo, tacendo, pſallendo, legendo, vel intonando ſint illicò parati.

Seſſ.23. decr. de ref c. 11.

Qui vero Clerici maiores, ac Dignitates inobedientes huic officio ſe oſtendent, pro qualibet vice, ac perſona cuiuſcunque Ordinis, & gradus ſit, in pæna grauiſsima mulctabitur, præter alias noſtro arbitrio reſeruatas.

93. d. Si Inimicus.

Puerorum autem, vel in minimis eidem non parentium Cognati, Auunculi, Matres, Patres, vel qui eorum curam habent, ſciant ipſo facto, vel trium Iuliorum pęnas, vel priuationis miniſterij Eccleſiaſtici illicò incurriſſe.

Aduertat autem Magiſter ipſe Cæremoniarum ſe in omnibus, verbo, actione, atque exemplo præbere amabilem, modeſtum, pium, Deiq; dignum eſſe miniſtrum, atque ipſorum Sacerdotum potius fratrem, quàm ſuperiorem, magiſque præcario vti nomine, quam imperatorio.

40. d. non loca.

Diligens ſit valde Cæremoniarum Magiſter, vt Clerici omnes, pręcipuè vero celebrantes, ita Antiphonarum, Miſſalium, ac Breuiariorum magis modo norũ docti ſint, vt Cæremoniarũ ipſarũ ſint diligentiſsimi obſer-

obseruatores, ad eas (prout in capite de Missis priuatis diximus) indecentias, gestus, & actus deformes fugiendos, quos & sæpius maximo animi tædio, ac mentis compassione in multis vidimus, & super quibus plorauimus; Exerceant igitur se ipsos, nec licet senio confecti erubescant Altaris ministri omnes, vt consuetudines has prorsus indecentes tollant, atque eradicent.

Cæremoniæ ipsæ sint grauitate sancta oblatę, ordine pro consuetudine Ecclesiarum seruato.

Attendat Cæremoniarum Magister non omnibus promiscuè, impartiendas esse Ecclesię Cæremonias, sed tantum Magistratui Ciuitatis in habitu Magistratus incedenti, ac decorato, omnibus alijs exclusis, ne Ecclesiæ in prophanos actus sacrosancta vilescant misteria, atque hoc sub pæna, vt supra toties quoties, & alia pro nostro arbitrio infligẽda, Indignè enim Peregrinis eodem ritu offertur sacrificium.

Num. 5.

DE VITA, ET HONESTATE *Clericorum.*

Caput Octauum.

VOS estis lux mundi, & Ciuitas supra montem posita, ait Dominus non tantum Prælatis maioribus, sed cunctis etiam Clericis tam Sæcularibus, quã Regularibus: quisque igitur attendat sibi ipsi, quia si in Sæcularibus eorum exemplo modicum fermentum totam massam corrumpit, quid si lux obtenebrescatur, ad nihilum valet vltra, quia à Populo non veneratur, à plebe non timetur, à Magnatibus negligitur, à Deo non protegitur, à Demone

Matth. 5.

c. cum non solum à malum à malo de vit. & honest. Cler.
c. Sedulo 32.
1. Cor. 5.

mone conculcatur, & tota mundi Respublica corrumpitur: à malo igitur non tantum, sed ab omni mali specie Clericus abesse debet.

Sint exterius, interiusq. ratione naturali, morali, & Christiana imbuti Clerici omnes, ne propter nos inter gentes nomen Dei blasphemetur. Igitur suo quisque muneri in tanta Ecclesię Catholicæ hierarchia fideliter incumbat, atque de sua villicatione vsque ad minimum quadrantem firmissime rationem se redditurum summo Deo pro comperto habeat.

Conc. Trid. Sess. 25. c. 1. de ref. & Sess. 14. c. 6. Clem. 1. de vit. & hon. Cleric. per totum vbi lat.

Vestes ita modestas sibi adhibeant in sacris constituti Ordinibus, vt Ecclesiarum Ciues, non Villarum Coloni habeantur, vel Beneficijs gaudentes Ecclesiasticis, vel non fruentes.

Trid. ibid.

Non sericus sit vestitus, nec etiam materiæ adeo vilis, vt dedecus Ecclesiæ afferat.

Non scissis, vel sordidis, sed mundis, & bene compactis vtantur indumentis.

Non Colorem, preter nigrum, quis adhibeat, nisi gradus dignitas hoc poscat.

C. Clerici de vit. & hon. Cleric. 41. d. §. 1. & c. Parsimon., C. Cler. & 21 q. 4. per tot.

Non affectata, aut elaborata elegantia, nec neglecta munditia in vestitu vllatenus appareat.

C. Clerici & c. non liceat d. 21.

Talari vtantur veste à collo decenter annexa, ad pedes vsque reflexa, hocque præcipuè in Ecclesia, & Dei ministerio, atque in locis, vbi Ciuium conuentus frequens esse soleat, atque vbi Ecclesiasticæ agantur functiones, atque Processiones.

C. non licet 23. d. & Clē. 2. de vit. & hon. Cleric.

Bireto semper in Ecclesia vtantur, in Processionibus, ac cunctis Ecclesiasticis functionibus, tam in Ecclesia, quam extra Ecclesiam occurrentibus.

4. d. §. 1. & Parsimonia.

In quibus pariter Chirotecas pænitus prohibemus.

Anulos nisi in Dignitate, vel Doctoratu constituti sint, non deferant, & tandem quisque modestia, & grauitate plena semper incedat.

De vit. & ho nest. Cler. & Cleric. 2.

Qui

Qui vero minoribus tantum initiati sunt Ordinibus, veste saltem infra Genua dimissa vtantur, contenti sumus, vel etiam nulla, si à nobis facultate obtenta ob paupertatem, vel alia necessitate, dispensabuntur.

21.q.4. null. eorum de cō-secr.d.Vestit.

In Ecclesia, & omnibus diuinis Officijs, pro temporis opportunitate, & cæremonijs requisitis nunquam sine Superpelliceo existat vllus.

C. Duo sunt gen. 12. q. 1. & 23 d. Prohibita, & si quis.

Coronam, seu tonsuram Clericalem in minoribus constituti magnitudine fere vnius Iulij; in maioribus vero constituti, quanta est vnius Iulij magnitudo; Sacerdotes autem ipsi, quanta est vnius Ostiæ circumferentia, habeant, indecens enim videtur in multis ne Sacerdotij quidem signum apparere, contra sacros Canones mulctas seuerissimas, vsque ad excommunicationem deuenientes, hęc negligentibus infligentes.

23.d. probib. de vit, & honest. Cler. c. Clericis.

Sacerdotes barbam, aut comam nutrire non decet, sicut nec penitus radere probamus, nisi in ea superioris labij parte, cuius pili possunt in sanguine Domini immergi.

Psalm. 92. 8.q.1. qualis 6.q.1.Beatus in med.

Puri igitur omni ex parte interius, exteriusque sint omnes in ordine Ecclesiastico constituti, tam maiori, quam minori, prout decet Dei immaculatam sanctitudinem, & essentiam.

44. d. c. vlt. & §. seq d. 41. per tot.

Sobriè, & in victu ita se gerant, vt etiam Laicorum conuiuia, vbi scurrilia, verba prophana, atque actiones vt plurimum obscenę pertractantur, aufugiant.

C Episc.d 35 & c. Cleric. & 44.d. Nulli 34.d. Pras. de cons d 5. non oportet. Concil Trid. Sess 22. decr. de refor. c. 1. Sess. 24.decr de ref c. 12.

Spectacula, Comedias, saltationes, choræas, omnes ludos à sacris Concilijs, & Canonibus Clericis prohibitos omninò euitent, nec eis intersint; Tabernas non adeant, & in via publica præcipuè nullis se immisceant vllius generis ludis aliqua ex parte indecentiam Clericalem, vel scandalum præseferentibus: super omnia præcipuè Alearum, ac Taxillorum ludi, & omnes saltationes interdicuntur, pariterque Follis magni, atque malleo-

malleorum ligneorum ioci, Imo & ludi in vijs maximè publicis Vniuersitatis cum formula casei proiecta, & insuper laruati nunquam videantur, aut incedant sub pænis supra,& infra dicendis.

Non exercitium aliquod audeant obire ex se indecẽtiam Clerici ostendens, aut mechanica,& seruilia opera exercere, bestias hinc inde conducere, vel rusticalia, aut baiuli opera nullo modo tractare, si enim 2. Timot. 2. Nemo militans Deo negotijs se debet miscere Sæcularibus, quanto minus indecentiam sapientibus? Venationes, vt aiunt sacri Canones, strepitosas penitus prohibemus, præcipuè verò cum canibus leporinis, vel retibus contra quadrupedum venationem rumorosam.

C. fin. de vit. & hon Cler.

2. Tim. 2. & 14. q. 4. Cler. ab indign. & 88. d. per tot. C. 2. de Cler. ven.

Arma omnia tum ad offensionis nocumentum, tum ad defensionis tutamen penitus nulla habere intendimus; arma enim Clericorum debent esse lachrymæ, orationes, psalmodiæ, & in his sępius se exercere, sicut dicitur de Iacob; Fleuit, & rogauit eum.

23. q. 4. Cler. & c. seq & de sent. excõ. c. in aud. & d. 36. & vlt. Osea 12.

Nocturno tempore vltra primam noctis horam à proprijs ædibus vagari, vel quouis titulo abesse,& reperiri (exceptis pro Sacramentorum administratione caussis à nobis probatis) penitus omnibus Clericis sit vetitum.

Occasione Festorum posthac in commessationibus cum Laicis simul conuiuare omnino interdicimus, seorsum igitur ab eis cibum capiant,& potum, ob scandala vt plurimum notissima.

34. d. Presb. 44. d. Comessationes.

Nuptijs quoque interesse omnino interdicimus, vbi nostro tempore potius corruptelæ sunt.

Negotia nullus sacris initiatus Clericus, aut quouis beneficio Ecclesiastico munitus existens audeat vllius generis mercaturæ, vel negotijs se implicare Sæcularibus, prophanis, aut seruilibus; nec prędia, possessio-

44. d. nullus de cons. d. 1. non oportet. Trid. ibid de vit. & hon. Cleric. c. 1. c. ex lit. Paul. 3. const. 42.

nes, vineas, campos, & huiusmodi per se, vel per alios vllo modo conducere.

D. 87. Licet 169. 1. general. d. Fidei c. 1. Ne Cler. vel Mon. ne se c. sent. sang.

Nec tutelam, aut paruulorum, viduarumuè curam acceptare.

Nec pro alijs fideiubere.

Nec artem medendi exercere.

Nec cuiusuis (sub quouis colore) Principis, Comitis, alteriusue negotia exercere, aut famulatum, obsequia eisdem exhibere, nisi à nobis iustissimis de causis licentia obtenta, sæpius renouata: minusue fæminarum negotia cuiusuis gradus seruilia impingere, & summatim nisi à iure Canonico permissa opera exercere valeant.

25. d. Cleros de cons. d. 5. non med. 22. q. 1. Cler.

Musicas artes, seu cantus prophanos nullibi, aut cũ aliquo penitus Clericis liceat docere, addiscere, vel tractare, eoque minus quæ obscena, & impudica sunt & iam sub pæna Excommunicationis ex sacris Canonibus: si præcipuè inter epulas id pertractetur.

Conc. Trid. Sess. 21. c. 6. de ref. & Se. 25. c. 14. & Ses. 21. c. 2. d. 51. per to. & d. 81. per tot

Cum fæminis, & à iure Canonico vetitis, nec cohabitare, nec conuersari sub aliquo prætextu Clericus quis audeat cuiuscunque sit gradus, aut conditionis, atque eo minus circa Concubinas, Adulteras se suspectum reddat, sub grauissimis sacrorum Canonum, & Pontificum pœnis, & Nostris.

32. d. Interd. 23. de his ig. & c. seq.

Nec igitur suspectas, vel cuiusuis ętatis etiam in decrepitate delapsas, modo aliquandiu suspectę fuerint, vllo pacto domi retinere debeant, aut cum eis communicare.

7. q. 1. peruenit.

Extra Ciuitatem nullus absque nostra licentia omnino nocturno tempore esse præsumat.

23. q. 8. Quicunque Cle.

Iniurias alicui Laico, vel inter se, imo nec iniuriarum vmbras, aut gestus audeat Clericus nulli inferre, sed honorem omnibus debitum prębere.

De vit. & honor. Cler. c. cum Decor.

In Aedibus proprijs Clerici nostri vel nocte commessationes Laicorum, cantus prophanos, cantilenas, & quid-

& quidquid ſcandalo eſſe poſsit, nullo vnquam pacto attentent.

Sciant tandem Clerici ſe in ſortem hæreditatis Chriſti Domini electos eſſe, Ideo omnia eorum ſtudia, ſtatus, progreſsiones eſſe debere, verbo,& exemplo ſpirituales, ac propemodum diuinas.

12. q. 1. Cler. & 21. d. Cle. in prin.

Non in otio torpentes tanquam in vitiorum Seminario, ſed in ſpiritualibus perpetuo verſari exercitationibus, vt talia operantes, ſe, ſibique creditas oues ad cæleſtem tempore opportuno beatiſsimam patriam perducant.

Cõtraueniens quiſquis Clericus noſtræ Diæceſi ſubiectus prædictis noſtris honeſtiſsimis, ac Catholicis ſanctionibus, ſciat ſe, præter pænas à ſacris Canonibus, & ſummis Pontificibus inflictas, nos alias tum ſpirituales, tum corporales, tum pecuniarias, vſque ad priuationem Beneficiorum incluſiuè, præter Anteceſſorum noſtrorum olim decretatas, ſine vlla remiſsione fore incurrendum: Sic igitur luceant opera veſtra bona coram hominibus, vt glorificent Patrem veſtrum, qui in Cælis eſt.

21. q. 3. molliciei, & ſeq. duob. cap.

Matth. 5.

De Parochis, & Curatis.

Vos eſtis genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis: Agnoſcat igitur Parochus eius dignitatis ſortem inter diuina miſteria eleuatam; & munus ſibi delegatum quaſi ſuffraganei in eadem Diæceſi ad tantum gradus faſtigiũ erectum: quare grauitate, ac modeſtia in ſibi ſubditos non neglectum, ſed venerandum ſe præbeat: non timeri, ſed ab omnibus amari procuret; Diligenti vigilantia ſuper omnia in gregem ſibi cõmiſſum perpetuò de animarum ſalute diu, noctuque penſitet.

1. Petr. 2.

Ezech. 18. 8. q. 1. in ſcripturis.

Idcircò librum habeat, in quo omnia suorum Subditorum nomina, cognomina, sexum, ætatem, statum, natos, mortuos describat, ac omnium necessitatibus maturo tempore prouideat, nec labori parcat, quia momentaneum hoc, & leue est ad æternæ beatitudinis pondus comparatum: Ars enim artium hoc dicitur munus, & est super omnia difficillimum, sic enim iussit Deus summo Pontifici ac Sacerdoti in lege, quod in superhumerali, atque pectorali descripta haberet duodecim Tribuum nomina.

2. Cor. 4. exc. 28. c. cum sit Ars de ætate & qual. C. Sedulo d. 34.

Fidem, moresq; populi sui incontaminatos, nec legi Euangelicæ vlla ex parte aduersos cõseruet, atq; in subditos circa ministeriũ huiusmodi diu, noctuq; inuigilet.

Quod vt ipsius intentionem quandoque à Subditis neglectam assequatur, omnibus nostræ Diœcesis Curatis, vel quomodocunque animarum curam habentibus districtè mandamus, vt sub pęna suspensionis à diuinis & priuationis fructuum vnius anni Beneficiorum omnium Nobis secreto nuncient, omnes cuiusuis sexus, aut conditionis peccatores Publicos, Scandalosos, & vt pestis serpentes, & alios ad eorũ pessimos mores attrahentes: quod si non fecerint, sciant nos per Inquisitionem subtilissimã maiores pęnas præter dictas eisdem accumulaturos tanquam facinorum gentium fautores, ac complices; Ideo caueant ipsi sibi.

In Sacramentorum ministerijs perlegant sæpè, & opere compleant, quæ supra de omnibus Sacramentis decreuimus: circa Missas quoque, atque omnes Ecclesiæ functiones, & Clerici munia, ne incidant in laqueos Diaboli, & in pęnas irruant horribiles. Quod vt melius exequi possint, hortamur, atque præcipimus, vt Clericum quisque Curatus in propria Ecclesia Diœcesis nostrę ad Ecclesiastica peragenda sibi adiungat, atque in cæremonijs, ac Ecclesiæ functionibus instruat,

accom-

accomodet, & in seruitio Dei quicquid opus sit, adiuuet, sæpe enim audiuimus, & ex ex parte vidimus non modica huius defectu in Dei templis euenire inconuenientia, atque scandala.

Doctrinam Christi Domini fidelem, & eiusde in Catholicę Ecclesię rudimenta pueros docere, cum pietate, patientia, & religione maxime curet quisque in sua Ecclesia, hora pro populo,& Ecclesia magis opportuna, idque omnibus Festiuis diebus sub pæna vnius aurei toties, quoties in hoc defecerit; parentesque filiorum sępius admoneat,vt de eorum animabus,& sanguine strictissimam rationem reddituros.

Conc. Tridt. Sess. 23. decr. de ref. c. 4. 43. d. Ephes. 8. q. 1. Audacter in fin.

Hortentur Populos omnes in propria Parochia, Missas audire, ac sermones,& diuinas exhortationes auribus, & mente retinere. Quos sermones ipsimet Curati totius Diæcesis nostræ singulis de Ecclesiæ pręcepto Festiuis diebus habebunt; vbi præcipuè, & sæpius proponent vitiorum scilicet fugam,& virtutum consecutionem, ad æternos cruciatus deuitandos, & salutem ęternam compræhendēdam,seque ante omnia præbentes virtutum exemplar, vnde possint auditores conuinci, & nullatenus excusari.

Conc. Tridt. Sess. 22. decr. de obs. in cel. miss.

Infirmorum parentes, affines, ac Cognatos sæpè admoneant Curati, etiam inter Missarum solemnia, vt quamprimum quis eorum in morbum inciderit, ad eos recurrant, vt eas, quas poterunt ex debito Spirituales medicinas, ac Sacramenta applicare, minimè retardent; ne grauioribus capti morbis, vt sæpè accidit, miser ægrotus sine animæ spirituali consolatione atque remedio infęlicissimè decedat.

Ieiunia, Vigilias, Festiuos dies Festiuis diebus inter Missarum solemnia annuncient.

Indulgentias pro loci, temporis, Sodalitatum, seu Confraternitatum occasione innotescere faciant, ad

Trid. Sess. 21. decr. de ref. c. 9.

hasque

hasque pro viribus consequendas hortentur, atque Dei benignitatem in his maxime manifestent.

18 q.1.Reuertimini.43.d. Dispensatio.

Mundi vanitates, vitæ breuitatem, Dæmonis fraudes, hominis fragilitatem sæpius inculcent, omnesque videant, ne cadant, sæpissimè adhortentur.

Librorum prohibitorum Indicem habeant Curati, vt sciant se, aliosque sibi Subditos ab Hæreticorum, prauorum morum, ac scandalorũ fraudibus defendere.

C. Irrefrag. de off. ord.

Cum igitur tantam quis susceperit prouinciam, vigilans sit, ne in rigidissimas Canonum cẽsuras incidat.

Pęnas hic superinflictas Clericis Edictorum nostrorum transgressoribus, hisque iure merito infligendas esse Parochi noscant; In omnibus igitur labia Sacerdotis custodiant scientiam, & legem eius toto corde exquirant.

Malach. 2.

De Libris Clericis necessarijs, & Curatis omnibus.

Eccl.8.

16.d. Qui Ecclesiast §.Ecce 38. Nulli & quatuor vlt. cap.

Sess.24.c.7.

HAec omnia liber vitæ, & testamentum Altissimi, & agnitio veritatis; Libros igitur sequentes, vel ex parte maiori Clericos, præcipuè Curatos, & qui Cõfessionum curam habent, vel functiones exercent diuinas, maxime operæprecium est habere, tum ad meditandum, tum ad discendum, tum ad docendum, quę ex Officio debent, ex sacra Tridentina Synodo.

Testamentum vetus, & nouum: Cathechismum Romanum: Concilium Tridentinum: Bullam in Cęna Domini: Librum etiam Baptizandorum: Rationale diuinorum Officiorum: Constitutiones nostras: Kalendarium pro ordinãdis Horis Canonicis, etiam nostrum pro sãctis Diæcesi adaptatum: Homilias aliquas Sanctorum Patruum: Summam Caietanam, Siluestrinam, Antoninam,

ninaui, & Operà Nauarri: Cæteros ſpirituales libros, vt Granatæ, Stellę, R.P. Bruni Societatis Ieſu meditationes, & maximè opera D.Gregorij Magni de cura Paſtorali, & Diui Chryſoſtomi de Sacerdotio aſsiduè perlegant, & meditentur, toto animi nixu in Domino hortamur. Præcipuè vero Miſſales, Breuiarios, & Baptizandorum ordinem proximè impreſſos hortamur omnes, quam citius apud ſe habere: hic enim Rubricarum nouarum decentium, ac neceſſariarum ſeries copioſa reperietur ad omnes Eccleſię pias functiones religiosè, compoſitè, ac deuotè obeundas.

Hinc enim vitiorum fuga, virtutum acquiſitio, & Subditorum, ſuiquemet ſalus præcipuè emanat. Idcirco ſub pænis ſupradictis, hos quiſque Curatus Libros, vel ex his aliquos, hosque magis proficuos habeat: vt ſit omnibus viſio omnium quaſi verba Libri ſignati. *Iſa. 29.*

De Monacis, & Regularibus.

EXemplum eſto fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate. *1. ad Tim. 4.* Hortamur in Domino omnes noſtrę Diæceſis Monacos, & Clericos Regulares, vt ſicut maiori obligatione pro tribus *C. cum ad monaſt. de ſtatu Monach.* explicitè emiſsis votis deuinciuntur, ita maiori ſanctitatis exemplo perluceant, vt inde virtutes magis augeantur, vitia eradicentur, Dæmones confundantur, Deus ipſe glorificetur: Præcamurque inter omnia eorum Prçlatos maximè eſſe vigiles circa obſeruationem ſuæ Regulæ, ac conſtitutionem clauſurę, ne puſilli ſcandalizentur, illi ſeuerisſimè puniantur, eorum Religio, & Dei vituperetur: *Concil. Trid. Seſſ. vlt. de & Mon. c. 2* ſubtrahant igitur toto corde præcamur ſe omnes Clerici Sæculares, ac Regulares ab omni fratre inordinatè ambulante. *2. Tim. 11.*

De

Isa. 58. Seß. 5. c. 2. & Seß. 24. c. 4. de ref.

QVasi Tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum: Equidem licet munus prædicandi maximè ad Eccleſiæ Prælatos, præcipuè Epiſcopos ſpectet, vt qui Apoſtolis Concionatoribus primis ſanctiſſimis ſucceſſerunt ex ſacroſancta Tridentina Synodo.

Seß. 21. ſub Leo x. Seß. 24 c. 4. de refor. conc. Trid.

Concil. Trid. Seß. 24. drcr. de ref. c. 4.

Attamen ſi pro tempore Aduentus, Quadrageſimæ & alijs anni temporibus in noſtra Diœceſi (vt moris eſt) prædicatio occurrat, nullus quiſquis ſit Sæcularis Clericus, & quocunque Priuilegio dotatus, audeat hoc prædicandi munus ſibi aſſumere in Diœceſi noſtra abſque noſtra ſcientia, Benedictione, probatione, licentiaque in ſcriptis à Nobis ſibi gratis impertita, vt decretatum eſt in ſacroſanctis Concilijs Lateranenſi, & Tridentino; minuſque Regulares in eorum etiam Ordinum Eccleſijs, Nobis illis contradicentibus, prædicare præſumant, ex eodem ſancti Concilij decreto.

In Clem. rel. de Priuilegijs Trid ibid. & 8. q. 1. oportet 43. d. Diſpéſ.

Concionator in viſceribus Domini piè, religioſè, purè, deuotè, ſincerè (omni vanitate, atque curioſitate relicta) corda feriat, terreat, alliciat, non autem mentes extrinſecus demulceat, vt memoriam cum omnium faſtidio, & ſui vana oſtentatione, ac capitis, & vitæ detrimento, fatiget.

Seß. 5. c. 2. & Seß. 25. c. 4. Cap. 25. c. 10 c. cet. de off. ord.

Parochus quoque per ſe, vel per alium, ſi ipſe impeditus ſit, nec idoneus; inter Miſſarum ſolemnia cunctis anni Feſtiuis diebus in Quadrageſima, & Aduentu ſermones habeat, pro anima ſalutares, pro omnibus exemplares, & verbo ipſo operarios, vt ex ſacris Concilijs, & multis cautum eſt, Tridentino ſcilicet, Maguntiano, ac Lateranenſi ſub Innocentio Tertio ſancitum eſt, Doctrina ſana prudenti tempore applicata, contumacibus minando, Innocentes animando, & diſciplina cæleſti

lesti omnes imbuendo maximè inuigilet & insudet, nisi tamen populi, præcipuè Oppidorum, proprium in Quadragesima habeant Concionatorem à nobis approbandum, vt singulis Oppidis præcipimus sub pœna vigintiquinque aureorum.

Exẽplo ante omnia bona proprio Catholicæ fidei, atque operationis sanctæ Testimonio, adhibito, irreprehensibilis enim esse debet.

8.q.1.oportet & 38.d.1.c.a & 50.d.quod est hoc.

Distinctio sit diligens inter loca virorum, ac mulierum, cum tela, vel aliquibus per cordulas extentis stragulis, ne impudentium, ac Sacrilegorum oculi, siue gestus prophanorum in tanto loco indecentium, & scandala exeant, vnde Populorum, & animarum surgit ruina cunctarum.

Aduertat maximè Concionator, ne ad fabulas sermonem conuertat inanes, non ad historias Scriptorum Apocriphas, non ad dicta inepta, non ad Hæreticorum figmenta fallacia, non ad Quæstionum difficilia, & imperscrutabilia secreta, non ad eloquentiæ facundiam, & tandem non ad ea, quæ nullius sunt pro animabus vtilitatis, se conuertat, nec ad miracula ab Ecclesia sancta non approbata, nec confirmata.

40.d.multi. 43.d Dispens. 86.d.cũ mul. Greg.9.const. 44.Paul. iij. const.27.

Leo x. Sess 9. in Conc. Lateranense.

Sed illa præsertim amplectetur, quæ sinceritatem, fidem Orthodoxam, vitiorum extirpationem, prauarum consuetudinum eradicationem, virtutum acquisitionem, pietatem, eruditionem, Fidei Christianæ perseuerantiam, Scripturarum, Conciliorum Sanctorum, Pontificum Constitutionum veritatem confirmet, annunciet, præcipuè vero vitæ breuitatem, salutis incertitudinem, mortis certitudinem perenniter conculcet, Præceptorumque Ecclesiæ, & Dei Sanctorum obseruãtiam omninò persuadeat.

18.q.1.Reuertimini.

8.q.1.Olim & c.inscript. Leo x.con.15.

Nullum tacitè, vel expresè prudens Concionator nomine insectetur, vel digito assignet, minusvè Præla-

44 d.Scimus.

S tos,

tes, seu Magistratum, ne de facili scandala oriantur, rumores suscitentur, populi scandalizentur.

De nocte audeat nullus, nec Christi Domini passionem Populo concionari, sed pro tempore diurno commodo à Nobis indicando, & fructu faciendo, scandaloque prorsus euitando.

Qui prædictis non obtemperabit Constitutionibus, sciat se à Domino districtè iudicandum, à sacris Canonibus, ac Nobis seuerissimè pro qualitate delicti puniendum: In omni igitur patientia, qui tanto munere fungitur, arguat, increpet, obsecret; totisque viribus quod ore profitetur, ipse prius opere compleat.

Timot. 2.

De Quæstuarijs.

Eccl. 22.
Sess. 5. c. 2. & de pæn. & remiss. c. cum ex 50.
Pius V. const. 30. & 99.

FIdem possīde cum amico tuo in paupertate illius: Igitur Quæstores Eleemosynarum per Diæcesim vagando prædicare, aut quouis priuilegio muniti sine licentia in scriptis obtenta à nobis nullo modo præsumant ex Decreto Concilij Tridentini, sub pæna etiam à Nobis maxima illis irroganda: nec Campanulis, Imaginibus, Reliquijs, vel arte vlla vtantur, vt pecunias, & bona extorqueant, sub eadem pæna inuiolabiliter luenda.

Quæstores verò nostræ Diæcesis pro Hospitalibus, & Pijs locis delegati, & à Nobis recognoscendi, & creandi sint, vt ipsi modesti, nec Infideles, & sine aliqua conuentione, vel pacto, sed totum in loci pij vtilitatem, & Dei honorem penitus cædat; alioquin & isti à Nobis seuerissimè præter Canonicas mulctas punientur; sit ergo quisque amicus fidelis, & protectio fortis, amico enim fideli nulla est comparatio.

Eccl. 6.

De

VIde quæ diximus in Capitulo de Parochis, vbi hoc expressum est.

De Processionibus.

ERat autem diebus festis procedens cum magna gloria; quo circa aduertat quisque Ordinarij circa Processiones edicta aufugere, vel eis promptè obtemperare, hi enim grauissimis sacri Trident. Concilij pænis subduntur, nec tantum sæculares Clerici, sed Regulares vocati, quantumuis Priuilegijs muniti, & exempti; Imo & Sodalitates ipsæ laicorum, ac sæcularium promptæ in omnibus his sint; modestè igitur, piè, deuotè accedant, incedant, atque recedant omnes supradicti, sub pænis adhuc maioribus nostris ordinationibus, ac pro Dei cultu, & honore pijssimis Edictis repugnantibus.

Iudit. 16. Sess. 25. de reg. & mon. c. 13.

Et non nisi post habitam Episcopi benedictionē recedat ullus ex supradictis.

Nec confuse, contentiose de ordine, loco contendant, ab eodem enim Episcopo dicti authoritate Concilij seuerissimè punientur.

Trid. ibid.

Separatim à maribus fœminæ in vltimo loco degentes existant.

Hora, & tempore statuto, vbi Episcopus mandabit simul omnes reperiantur, nocte vero nunquam omnino Processiones fiant.

Clerici omnes sæculares suis superpelliceis induti, vel alijs pro tempore, & consuetudine indumentis incedant, stent, recedant, psallant, sileant ad nutum Magistri Cæremoniarum, vt omnis tollatur inurbanitas, confusio, ac indeuota irreuerentia, & hoc sub

pæna à Nobis grauissima trangressoribus infligenda.

Sess. 22. decr. de obs. in cel. miss.

Rixas tumultus, clamores prorsus hinc absint, sub pæna à nobis non leui imponenda præter Concil. Tridentini seuerissimas.

Viæ sint à puluere, cæno, ac sordibus mundatæ, & si oportunitas adsit, vel commoditas, stragulis, vel tapetis, picturis, & imaginibus Sanctorum ornatę, prophanis omnino seclusis, & interdictis.

Pietatem Christianam redolentibus parietes sint ornati, pauimenta quoque (si tempus datur) floribus, ac ramis odorem gratum emittentibus decorata.

In die pręsertim Corporis sanctissimi Domini nostri solemnissimo summa ad tantum Creatorem, ac Redemptorem adhibenda est deuotio, ornatus, ac religiosa veneratio, Psalmodiæ, cantusque Litaniarum sint in grauitate humiles, in humilitate deuotæ, atque supplicem spirantes pietatem, & pium Dei implorantes auxilium.

Eug. 4. con. 4. Mart. v. constitut. 6.

Tunc enim Pontifices ingentes Thesauros Indulgentiarum Christifidelibus concesserunt.

Nihil prophanum, minusque sanctitate non refertũ in via, in portis, ac do nibus tantæ maiestati repręsentetur, sed in omnibus sanctitas vbique cernatur, appareat, existat; In tanto igitur diuino ministerio specie sua quisq; & pulchritudine sua intendat, prosperet, procedat, ac regnet.

Psalm. 44.

De Salutatione Angelica.

Rom. 16. Bonif. ix con. 1. vbi de lau. B. V.

SAlutate Mariam, quę multum laborauit in nobis: Consuetudinem ab ineunte Ecclesia sancta de Angelica salutatione ritè veneramur, & præsertim trinam scilicet in aurora, meridie, & vespertino tempore Beatę semper Virginis Dei Genitricis Mariæ salutationẽ.

Illam

Illam maximè quoque laudabilem, atque Catholicam consuetudinem approbantes pro defunctis, cum tribus Dominicis orationibus, totidemque Angelicis salutationibus addito Psalmo De profundis, & in fine Requiem æternam, in horâ noctis primo signo campanæ pulsari, & obseruari decernimus, pièque, ac deuotè in miserorum Defunctorum suffragium genuflexis prædictas orationes recitantibus quadraginta dierum Indulgentiam in Domino elargimur.

Sub pęna igitur non leui à Nobis infligenda, singulis diebus, dicto tempore, Campanæ signum dare non omittat Sacrista.

Vsus pariter in multis pietatis Christianę locis, viris, sanctus, & pius obtinuit, vt statim ac auditur signum vel Campanâ alicuius nuper defuncti, mos est illicò genibus flexis, tres Orationes Dominicas, tres Salutationes Angelicas, quemlibet Christicolam cum Psalmo De profundis quam deuotè recitare, pro ipsius defuncti refrigerio, & aliquod à misericordiarum Domino nostro Iesu Christo per hæc suffragia refrigerium eidē impetrare; quod nos in Domino quoque, & in nostra Diœcesi à cunctis Christifidelibus obseruari pijssimè hortamur, & desideramus.

13. q. 2. non existimemus.

Ipsos quoq; Sacristas Campanarum signum aliqualiter prolixū pulsare volumus, atque statuimus, statim ac illis defuncti expiratio innotescet, quod munus præcipuè erit defuncti familię cum diligenti pietate Sacristam admonēdi; Vtque Beatæ Virginis meritis fauóres impetremus, quam sæpissimè cum Angelo piè, ac deuotè dicamus, Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum.

Luc. 1.

De

Psalm. 118.

NArrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua; Ideo nullus cuiusvis gradus sexus, aut præeminentię, & status, publicè, aut priuatè, per se, vel per alios actiones (quas vocant Repræsentationes) agere pias, ac Sanctorum, & Domini nostri passionem enarrantes, ac gestis proferentes præsumat, nisi prius à Nobis, & earum formula, & subiectum integrum perspectum, atque approbatum fuerit: sæpè enim compertũ est risui prophano hominibus, dedecori Deo, & Sanctis, Dæmonibus gaudium fuisse huiusmodi actiones. Idcirco audeat nullus deinceps publicè, aut priuatè, palam huiusmodi historias repræsentando referre, sed Martyrum actiones, & historias simpliciter à Concionatoribus narrari, exponi, doceri, atque imprimi in cordibus nostris facile permittant.

Concil. Trid. Sess. 4. de vsu lib.

14. de Presb.

Nullus autem Clericus etiam in minoribus constitutus nostrę Dięcesi subditus, Sęcularis etiam in priuato, nec vllus quoque Regularis in publico Clericus audeat sub grauissimis à Nobis pœnis irrogandis personaliter cuiusuis generis actionem aliquam vel ex parte repræsentare.

4. q. 1 de fin.

Qui vero huic nostro se opponent decreto, sciant se excommunicationis sententiam præter centum aureorum pœnam incursuros, & alijs pro arbitrio nostro pœnis seuerissimè mulctandos.

4. d. 1. de fin.

Prophanæ vero actiones, atque fabulosæ Repręsentationes, quę à plerisque Circulatoribus, & Mimis, seu Histrionibus agi solent, caueant ne turpia loquantur, aut agant, ne Sacris Prophana, & Sanctis obscęna commisceant; maxima enim à Nobis pœna illis infligetur, quia docuerunt linguam suam loqui mendacium, vt iniquè agerent, laborauerunt.

Hierem. 9.

De

BOnitatem, & disciplinam, & scientiam doce me: Omnes pueri, & discipuli ad ludiMagistros conclamant, vbi pensare debent ipsi Disciplinarum Doctores prius hos bonitatem, scilicet animæ rudimenta circa Fidei Christianæ pietatem; deinceps verò morum probatorum disciplinam; postremò scientiarum doctrinam postulare, namque initium sapientiæ est timor Domini. Caueant igitur puerorum, & adolescentium Magistri, ne primo lacte pueros veneno inficiant, cum satis compertum sit, sæpius in consuetudinem, & naturam conuerti, quod primum imbibitum fuit; Ideo sanam ex omni parte doctrinam maximè curent pueros docere, ne ipsi tandē eorū moribus prauis atq; culpis facinorosis, tanquam ab eorum fonte emanatis, cōparticipes fiant. *Psalm. 118.* *Psalm. 110.*

Libros pariter in Indice Sanctissimi Domini Nostri Clementis Papæ Octaui omnino vetitos ab eis amoueant.

Ad sacra audienda, ad Vesperas, ad Conciones diebus Festiuis cunctis ducant, hortentur, & compellant accedere, vbique cum maxima animi pietate, & corporis modestia omnibus Christiana exempla præbere.

Nec vllus puerorum Magister audeat suam disciplinam in pueros exercere, quin prius in manibus nostris Fidei Catholicæ Professionem emiserit, iuxta Sanctissimi Papæ Pij Quarti Constitutionem. *De Matr. c. quia nonn.* *Pius iv.*

In Ecclesia pueros docere nullo modo probamus: Imo prohibemus; sub pæna à Nobis seuerissima imponenda, præcipuè sine Magistrorum præsentia ob varia nobis nota scandala, & maximas Ecclesiæ Dei offensas; ne vobis dicatur, Cum debebatis Magistri fieri, rursum indigetis, vt doceamini. *Hebr. 5.*

De

De Hospitalibus, & Locorum, atque bonorum Piorum administratione.

Matth. 25.

HOspes eram, & collegistis me, vnde pia deuotarum animarum semper fuit erga pauperes, peregrinos, & aduenas affectio, vt extra diuitias, atque commoditates, necnon extra cognationem, propriamque patriam si quandoque euenerit, illos in aliquod infortunium incidere; vbiuis locorum erigerentur Mansiones, & subsidia charitatis plena; vt dilectio Christi Domini fraterna non verbo, sed opere ipso appareret, & esset.

Seß. 7. c. 15.

Hinc est, quod vt fideliter bona huiusmodi Pia administrarentur, sacrosancta Tridentina Synodus Ecclesiarum Ordinarijs mandauit diligentem super his adhiberi curam, sub pœnis in dictis Concilijs contentis, & alijs Episcopi arbitrio irrogandis.

Seß. 25. c. 8. de ref. & Seß. 22. c. 8.
Seß. 22. c. 9. c. Irrefraga. de off. ord. & Cl. 2. de supl. neg. à Prel.

Primo igitur caueant locorum Piorum administratores, ne eorum bona dilapidentur, vel in minimo vsurpetur, quia Deo, & Nobis vsque ad minimum quadrantem rationem reddere singulis annis tenentur, vt & modo præcipimus, sub eisdem pœnis infra quindecim dies, omnes cuiuscunque sint conditionis, aut status administrationis per ipsos factæ rationem nostræ Curiæ fidelissimam afferre debeant.

Inuentarium bonorum omnium, tam mobilium, quã immobilium, aut se mouentium infra Mensem fideliter componant, ad nos transmittant, vt ad perpetuam rei memoriam in Archiuio Curiæ nostræ asseruetur, sub pœna à Nobis arbitranda, tam per censuras Ecclesiasticas spirituales, quam per alias corporales, & temporales.

Pietatem

Pietatem Christianæ dilectionis maximè erga pauperes infirmos attendant, vt Samaritanum illum imitantes, oleum misericordiæ, & vinum consolationis in eorum vulneribus infundant, scilicet alendo, vestiendo; cibum, potumque, & medicinas corporales, ac spirituales præbendo: officium super omnia Deo gratissimum. *Luc. 10.*

Nullus tamen Circulator, Histrio, Scurra, Meretrix, aut publicus Peccator hic sine nostra expressa licentia vllatenus sub pœnis prædictis recipiatur.

Curam præcipuè illam habeant, vt infirmi statim prius per Confessionem adhibeant spiritualem animæ medicinam; quod si neglexerint, infra secundam diem prorsus excludantur, vel si eius anni Confessionis peractæ fidelem in scriptis à suoParocho non proferent attestationem cum sanctissimi Sacramẽti Communione, penitus explodantur.

Diligenter attendant, ne viri cum fœminis simul in eodem loco, vel cubiculo degant, sed separatim diù, noctùque, atque à Fœmin is Fœminis, à Viris Viris obsequia præstentur.

Librum Santeses, & Parochus, vel alij horum locorum Officiales habeant, in quo hospitantium nomina, cognomina, gradus, exercitium, Patria inscribantur; diesque pariter aduentus, & recessus.

Legata pia Pio loco relicta quam fidelissimè adnotentur, & Archiuio nostro simul statim adiungantur.

Nec audeat quisque (vt etiam constitutiones Piorũ locorum hic habentur) expendere Iulium vnum absq; expresso nostro consensu, & licentia in scriptis habita sub prędictis pęnis ipso facto incurrendis.

Si accederit hospitem aliquem in his locis mortis tributum naturale soluere, habeatque ipse bona mobilia, statim Curia nostra admoneatur, vt eius dispositio per

testamentum sciatur, vel si ab intestato decesserit, possimus(quod ęquum erit)vel suis hæredibus propria bona assignare, vel pio loco applicare, & eidem hospiti Ecclesiæ sanctæ suffragia ministrare.

Aduertant Officiales omne hospitantium scandalũ vitare, vel occasione commoditatis, vel inclinatione naturæ, vel malitiæ personę; vt sanctus, & pius locus nullatenus in verbo, vel opere prophanetur.

Missam quotidie, vel saltem diebus Festiuis, si commodè fieri potest, aliquis Sacerdos hospitantibus infirmis celebret, eaque Sacramenta, atque charitatis officia adhibeat, quæ & infirmitas expostulat, & defuncti maxime desiderant.

Trid. ibid. & Can. hic sup. citatum. Administratores autem (sic enim res salua fiet) & Officiales creentur pietate Christiana, diligenti cura, fideli administratione cauti, atque ex omni parte referti, etenim Deus honorabitur, atque hospitalitas propitiabitur: *Gen. 16.* Imo pro hominibus terrenis aliquando Angeli hospitio recepti suos hospites saluant.

De *Monte Pietatis*.

Iohel 3. Sess. 22. c. 8. Vid. Can. cit. pro Hospit. Leo x. conf. 9.

IN illa die stillabunt Montes dulcedinem, & colles fluent lac, & mel; vnde nomen hoc ex se, ac tantum opus, eius fidelem administrationem declarat; Ea igitur, quæ in hoc Hospitalium bona sancita sunt, idem pariter de Montium Pietatis loco obseruari pænitus mandamus, & sub eisdem pænis à sacris Concilijs districtè seruandum.

Custodiant, atque ab iniurijs defendant Officiales prędicti Montis pignora omnia, ne vllo pacto tineis, puluere, sordibus deuastentur.

Studiosi sint, vt pro pignoris qualitate quantitas pecuniæ propinetur.

In exa-

In exactione vigilantes, nec extra Capitula vagentur, ac Decreta à summis Pontificibus concessa, & ab Ordinarijs reuisa, & maximè laudata extorqueantur.

Campserius inter omnia sit fidelis in suis libris clarus, ordinatus, atque diligens executor.

Alienari bona Montis Pietatis, vel vsurpari à quouis, nullo pacto permittant: quod si turbantur, ad nos recurrant, qui æqua bilance cuncta ponderabimus, sub pęnis à Concilio Tridentino seuerissimis infligendis.

12. q. 2. Nulli liceat & c. Diac seq. cap.

Si fortes fieri pignorum accidat, quod superest de venditione pignoris, pignoranti vsque ad quadrantem fideliter restituatur: Pietatis enim Mons esse debet, non rapinæ, aut furti impietate referti.

Sess. 25. c. 11.

In dubijs sæpè emergentibus ad Nos recurrant Officiales, vt morbis omnibus Deo fauente mederi possimus, in ipsius gloriam, in populi commoditatem, & locorum Piorum bonorum conseruationem; vt pauperes dicere gaudentes possint Eamus secundum consuetudinem ad Montem Oliuarum.

Luc. 22.

De Sodalitatibus.

Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare Fratres in vnum; Etenim dilectio in charitate perfecta omnia operatur: Ideo hortamur omnes nostræ Dięcesis Confraternitates, ita vnum esse dilectione, sicut ego, & Pater vnum sumus in essentia, ait Dominus: quasi igitur in speculum Tridentinę Synodus se intueantur Confratres isti, in vnanimitate meditationum, orationum, pietatis, & suarum Constitutionum Catholicarum operationibus inuigilent, ac operentur, se ipsos corrigendo, vitia expellendo, prauos mores vitando, virtutes sequendo, Confraternitatem in omnibus amando.

Psalm. 132.

Sess. 22. c. 8.

Pias functiones, Horas Canonicas, & Officia diuina, pro eorum Constitutionibus ordinata, assequantur, atque frequentent; ne vt in multis euenit, nomen tantum sine operibus habeant.

Si aliquæ Societates non gaudent Priuilegijs, Indulgentijs, aut Ordinibus carent, quam primum in Vrbe alicui ex sanctioribusSocietatibus aggregari procurēt, hasque Idiomate nostro in Tabella extenso, atque eorum Oratorijs affixo perpetuo præ oculis habeant, vt ad operandum quid debeant, sint prompti, ad excusationes non recepti.

Ad eorum functiones, & onera implenda maxime sint vigiles tum corporalia, tum spiritualia, pręcipuè verò ad Ecclesię statutas functiones publicas, cum inuitari fuerint audeat nullus, cuiuscunque sit exemptionis, tardus, negligens vel minimam nobis afferre repulsam, sub Censuris, ac pænis grauissimis à Nobis arbitrandis.

Sess. 22. c. 8. In omnibus sciant à Nobis quamdiligentissimè visitandas esse, ordinandas, & si opus fuerit, corrigendas Christianorum Sodalitates, ne fiant Dæmonum Confraternitates.

Trid. ibid. & Can. cit. pro Hospit. Sciāt quoque de eorum bonis rationem nobis quotannis ab eorum Ministris fidelem fore reddendam, ne quod in pios vsus, ac Dei honorem impendi debet, in Bacchanalium prophanos, & improbos mores, hosque Societatis Christianæ indignos impendatur; ne quę domus esse debuit, ac habitatio diuinorum, fiat habitatio Dæmoniorum. *Apocal. 17.*

De

De Monialibus.

QVærantur Regi puellæ, ac Virgines speciosæ. Quocirca Deo adeo est cara Sãctimonialiũ vita, vt inter creaturas ipsemet declarauerit, nihil sibi gratius esse posse puritate Virginali; nam & proprium filium, super Angelos puriorem, ex matre Virgine, & purissima nasci voluit, & insuper Filius Matrem Virginẽ, quam summoperè diligebat, discipulo Virgini, ac puro commendauit. Vnde mirum non est, si accuratissimã videmus vigilantiam à sacrosanctis Concilijs, in eorum que Clausura, moribus, ac vita, necnon & Pontificum magnorũ Constitutionibus adhibitam fuisse. Nos quoque pro tantę puritatis conseruatione, Dei honore, Christicolarum exemplo, earumque animarum salute, hæc adnotare decreuimus.

Hester. 2.

Concil. Trid. Sess. 25. c. 5. de Reg. & Mon. Pius V. Gregorius XIII.

Templum, seu Ecclesia earum sit ita parietum, Ianuarum, atque Fenestrarum munitum, vt ex omni parte diu, noctuque securissima sit, & eo magis adhuc propriæ domus portæ, seu Cancelli omni munimine tuti, & nonnisi necessitatis occasione vrgentissima adaperti.

Trid. ibid.

Quarum duæ claues erunt, vna in manibus Custodis, seu Agentis, aut Factoris ætate prouecti, prudentia cauti, Christiana pietate imbuti, moribus, ac vita probatissima redolentis; altera verò in manibus Abbatissæ, cuius qualitates infra exprimentur.

In Ecclesia Fenestella erit alta cum ferreis cratibus inter se pro sexta parte palmi distantibus, vel vncijs ad summum duabus; Hæcque in alto sit posita, vt sanctissimi Sacramenti eleuationem videre queant Moniales, non autem ab existentibus in Ecclesia vllo modo videri: sit autem operta panno serico, vel lineo semper Fenestra

nestra præter ligneam Fenestram cum suis pessulis, & seris valde munitis, præcipuè tempore nocturno claussis,& nonnisi in Officijs Missarum eleuatis, statimque demissis.

Fenestella, vnde sacra recipitur à sacerdote communio, sit tantæ capacitatis solum, vt manus sacerdotis commodè Sanctissimum Sacramentum in os Monialis porrigere valeat: de cætero continuo, semperque clausa persistat.

Trid. ibid.

Per hanc quoque confessiones audire debet earumdem à nobis deputatus Confessarius, nec intra Monasterium vnquam ingredi, nisi occasione administrandi sacramenta infirmis: semper tamen cum duarum ex antiquissimis loci Monialium assistentia, si occurrat, associatus cum prædicto Monasterij agente; in eius absentia cum seniore loci Magistratu, & vita probato Christiana.

Sess. 25. c. 15. de reg. & mõ. Const. Gregor. xiij. const. Pij Quinti.

Nec intra Monasteria, & Monialium septa corpus sanctissimum Christi Domini vllo modo asseruetur, ex Tridentia sancta Synodo.

Trid. ibidem cõst. Greg. xiij. & Pij v.

Neque vllus alius quisquis sit, & cuiusvis cõditionis, & gradus, sub quouis colore, vel prætextu, etiam sub quauis vrgentissima necessitate, audeat ingredi septa Monialium, nisi prius à nobis, vel à nobis in hoc delegato Vicario obtenta in scriptis licentia, sub pæna excommunicationis summo Pontifici reseruatæ, præter alias à nobis iniungendas: caueant autem Clerici, omnes quoque etiam Regulares sub alijs seuerissimis pænis ab eisdem Pontificibus inflictis, & à nobis adaugendis.

Nec alius vllus ad portas, seu crates, aut Fenestras, vel vbivis locorum præsumat accedere, alloqui, vel per litteras admonere, aut negotia tractare cum aliqua Moniali, sine obtenta à nobis, vel prædicto vica-

Vicario in ſcriptis facultate, & cum aſsiſtentibus duabus Monialibus, hisque antiquioribus ſub pæna excommunicationis, & aliarum pro arbitrio noſtro grauium imponendarum, & ſub pæna priuationis Officij in ipſamet Abbatiſſa in hoc negligente, vel contrauenient.

Literæ vero à nulla recipi poſſint, aut ſcriptura, vel liber cuiusvis materiæ, niſi prius in manibus Abbatiſſæ fideliter deuenerint, quæ provt conueniens ei videbitur, eas adaperiet, & pro eius prudentia, vel illas diſſimulabit, vel propriæ perſonæ, cui directæ ſunt, indicabit, atque propinabit: ſecus facienti, recipienti, ac danti eaſdem, quas ſupra diximus pænas, & adhuc maiores pro arbitrio noſtro intimamus. De muneribus dandis, ac recipiendis à quocunque idem omnino ſeruandum decernimus, ac mandamus.

Exire à monaſterio poſt profeſſionem peractam, nec liceat vlli Monialium abſque legitima cauſa per Epiſcopum approbanda ex præcepto Concilij Tridentini, vt æquum eſt. *Seſſ. 25. c. 5. de Reg. & Mon.*

Clauſura tandem totius Monaſterij ita ſit in portis, feneſtris, parietibus, & tectis compacta, ſtructa, atque munita, vt ſæcularibus nullus ſit negotiationi, locutioni, aut viſui aditus ſub pæna carceris trium annorum Abbatiſſæ, præter priuationem vocis actiuæ, & paſſiuę eodem durante triennio. *Ibidem.*

Rotæ, vel Parlatoria ita ſtipata, & foraminibus paruis in Crate ferrea ſint munita, & digeſta, vt tantum voci, non oculo locus ſit, nec pęter verba neceſſaria immoretur in locutionibus, ſed ſtatim clauſis feneſtris, breuibus expleantur negotia.

Dormitoria ita ſint inlectis, vel cellulis diſtincta, vt Cortinis ſaltem ſuis vnaquæque in proprio lecto dormiẽs honeſtatis cauſa ab alijs minime inſpiciatur.

Numerus Monialium ex Conc. Tridentino pro loci *Trid. ibid. c. 3*

pauper-

paupertate, vel opulentia certus esse debet, vt vel ex Dotibus proprijs, vel eclemosinis decenter sustentari possint: Ideo nos adhibito maturo de Monialibus Vitorchleani examine, ob eorum decentiam & conseruationem decreuimus, earum numerum excedere non debere trigesimum quintum, prohibentes prorsus Abbatissis præsentibus, & pro tempore venturis, sub pæna carceris vnius anni, priuationis officij, & alijs arbitrio nostro imponendis, ne deinceps vllam absque à nobis in scriptis obtenta facultate ad professionem accipiãt, vel ad ingressum admittant.

Dotes verò sub eisdem pænis huiusmodi erunt, scilicet habitatoribus loci, seu Ciuibus nec minus ducentorum quinquaginta scutorum: extraneis vero, idest alterius Diœcesis & loci, trecentorum: hocque inuiolabiliter seruandum mãdamus, sub pænis à Nobis infligẽdis.

Sess. 25. c. 7. Conc. cart. 3. Præfectæ, seu Abbatissæ ex Concilio Tridentino sint laudabili vita, pietate Christiana, prudentia sancta decoratæ, post professionem editam in Monasterio, post octo saltem annos honestissima, & exemplari vita superstites, nec in talem gradum præfecturæ minores quadraginta annis eligantur.

C. 19. & c. sã Eim. 20. q. 1. Nisi forte ob incommodum, vel Monasterij necessitatem aliud fieri deberet de consensu nostro ex Concilio Agathense, a Nobis hic pro expresso nominato.

Trid. ibidem Electio iuxta Monasterij regulas maximè obseruabitur, & suffragijs, vel calculis secretis, vt ex tribus partibus duæ sint validę in superiori Præfecta: In Vicaria vero, & discretis per eadem suffragia secreta, si dimidia pars aliquo numero excedatur, ad earum creationem sufficientia vota censentur: de cæteris minoribus Officialibus, vt Præfectæ Rotę, Sacristiæ, Magistrę Nouitiarum, regulæ, & statuta vbique seruentur in singulis Regularium Ordinibus.

Electæ deinceps omnes, nec recuſantes, ſed humiliter Deo gratias agentes ita proprium munus exerceant, vt votorum executionem oſtendant emiſſorum, Deique honori, ac animarum ſaluti, quam feruentiſſimæ intendant.

Erga infirmas corpore, & mente, ratione tentationis Dęmonum ita ſe gerant Pręlatæ, & omnes alterutrum, vt ſanctimoniam vndique ſpirent, & charitate vbique igneſcant cum diligenti feruore, perſeueranti patientia, vt ſalus tantum, & corporis, & animæ quam fideliſſimè attendatur.

Cultum diuinum ita venerentur, & frequentent, vt in Choro, & extra Chorum, ſi fieri poſſit, ſemper orationi incumbant, & circa Officia diuina, Horas Canonicas, & Beatæ Mariæ cum Pſalmis ab Eccleſia pro tēpore ſtatutis, ex omni parte perſoluant.

Libros vanitatibus, & quæ ad rem non faciunt, ſed perniciem moliuntur pariterque colloquia vana, & indecentes fabulas à ſe penitus repellant.

Confeſsionem, & ſanctam Communionem ſemel in Menſe ex Concilio Tridentino deuotiſsimè frequentēt, præter cuiusque Regulæ obſeruantiam, ac deuotam conſuetudinem: quod ſi extra conſuetum, extra ordinē deſiderabunt aliquem Confeſſarium, honeſtæ eorum petitioni facile ſatisfaciemus.

Fidei Catholicæ confeſsionem cum Sancta Matre Eccleſia omnino toto corde, & opere profitentes.

Prædicare verum in publico nuſquam attentent Moniales quantũuis doctæ, ac ſanctæ vitæ perfulgeant.

Abbatiſſa, & Prælata præcipuè incumbat in acceptione puellæ ante profeſsionem emiſſam de illius prō pta, & libera voluntate, nulla ex parte à quouis diſtorta, vel coacta, ex Concilio Tridentino, in hocque pijſsimè inuigilet.

Seſſ. 25. c. 16. ibid. & c. 19. Nec patiatur ante profeſsionem puellas aliquid afferre in Monaſterium præter victum,& veſtitum ad propriæ vitæ conſeruationem.

Seſſ. 25. c. 1. ib. Studeat quoque perſcrutari, an virgo in aliqua anni probationis parte fecerit renunciationem, aut obligationem.

Refectorium commune in omnibus ſit cum maxima corporum, ac animorum humilitate, & pietate, illa modeſto ferculo cibando, hos per ſacræ lectionis meditationem diuinam bonitatem ruminando, ac pro tantis beneficijs toto affectu Deo gratias agendo.

Ieiunia, vigilias, diſciplinas, veſtes, dormitiones,& omnia ab Eccleſia ſancta, ſed etiam à propria regula indicta meminerint ſe inuiolabiliter obſeruaturas Moniales omnes ſub peccato grauiſsimo, citra neceſsitatis impedimentum à Superioribus cognoſcendum.

Prudentes, piæ, humanæ, rigidæ, & ſeueræ pro tempore, & occaſione exiſtant Prælatæ, hortando, compatiendo, tolerando, puniendo, rixas componendo, perſonarum non ſint acceptatrices.

Aliarum conſilio diſcretarum perſępè vtantur ſano, ac ſpirituali charitatem augendo, ſanctitatem conſeruando, ſalutem, quoad fieri poteſt,certiorem faciendo.

Seſſ. 25. c. 2. de reg. & mon. Communia omnia tum in Refectorio, tum extra ex Concilij Tridentini Decreto omnino ſint, ſub pæna ibidem, pręter regulam, & alias à Nobis arbitrandas.

Nouitiarum Magiſtra idonea in moribus,vita,exemplo, prudens, diſcreta, ac zelo plena diuino maximè eligantur.

Ibid. c. 1. Vota tria, ſcilicet, paupertatis, obedientiæ, caſtitatis quam firmiſsima conſeruent, ſunt enim Monialium ſalutis tutiſsimum fundamentum, & ſecuritas: ergo in omnibus ſubiectæ pareant Prælatis, diuina, vel in ordine ad Deum imperantibus.

Caſtitas

Castitas in mente,& quinque sensibus corporis omnino, & perpetuo conseruetur.

Paupertas particularis propria quam maximè obseruetur, sed omnia in vsum communem, vt æquum est, erogentur.

Prælata, seu Oeconoma Ecclesiæ Monasterij bona tam mobilia, quam immobilia cuncta in libro collecta sæpe examinet, conseruet, & si fieri potest, adaugeat, vt & quod superest in Monasterij vtilitatem accrescat, vel in opera pia, & in miserorum eleemosynas, ex Concilio Tridentino erogetur.

Sess. 25. c. 2. de reg. & mo.

Librum habeat magnum œconoma, in quo redditus omnes Conuentus, & Monasterij bonorum omniũ ac singulorum quam fidelissimè inscribat, ab altera vero parte exitum quoque fideliter de singulis adnotet; vt anno eius administrationis finito successuræ Oeconomæ sinceros computus, ac rationem totius villicationis fidelem reddere valeat: satis enim compertum est præteritorum iniuria temporum, & huius negligentiæ defectu, ac prouisione, bona non pauca piorum Monasteriorum dilapidata fuisse; vigil itaque sit Oeconoma, ne in magnas animæ, & corporis pœnas huius incuria incidat, atque incassum inde pæniteat.

89. d. Diac. & cap. seq.

Puellæ in Monasterijs acceptandæ à Prelatis maximo studio examinandæ sunt, præter voluntatem liberam, nec vllo modo coactam ex Concilio Tridentino, sed diligentissimè seruetur, an vera sit intentio Religionis, nec curiosa; an probatos habeat mores; an bonæ Indolis, & spei; an perseuerantiæ expectationem dare videantur.

Sess. 25. c. 18. de reg. & mo.

Circa habitus receptionem, ac Professionis emissionem standum est omni ex parte sacrosancti Concilij Tridentini Canonibus.

Ibid. c. 15. 16. 17. 18. 22.

Puellæ, quæ in Monasteria ad educationem recipiuntur, à Nobis quoque noscendę, & non sine scripto intromittendæ, nec minores sint decennio, aut maiores annorum quindecim honestis parentibus sint ortæ, probatis moribus repletæ, vestitu in qualitate, & colore modestæ, sine pompis, fucis, gemmis, auro, aut torquibus ornatæ, nec postquam acceptæ fuerint cum externis alloquantur, nisi seruatis supradictis à Superioribus cognoscendis.

Dormiant, edant, & bibant à Monialibus separatæ, omniaque seorsum operentur, exceptis diuinis Officijs.

Pro eorum victu, & alimento deinceps, (vt confusio, & perpetuum Parentum colloquium, & negotia inconuenientia exterminentur) à proprijs parentibus viginti quinque scuta dentur Monasterio pro vnaquaque Puella, & vno quoque anno singulis sex Mensibus anticipatiuè dimidietate soluta; secus facientes, & hoc non adimplentes, eorum filiam, Neptem, vel Cōsanguineam domi expectent, quod assequi transacto die octauo semestris Mensis decursi, districtè mandamus.

Abbatissæ sub pæna Carceris sex Mensium, & priuationis actiuæ, & passiuæ vocis per bienniū literas, cātus, aut quid aliud, nec ad Rotam, aut parlatoria, seu Fenestellas liceat licentiam impartiri alicui, ad docendum, vel discendum, vt & Monialibus ipsis, sub pæna Conciliorum, & Constitutionum Apostolicarum grauissima, & alijs à Nobis irrogandis.

13. d. Sacrat. Altaris Pallas, Corporalia, Calices, Monialibus licet sanctissimis tangere non liceat.

Sacra-

Sacramenta vero à nullo audeant Moniales nostræ Diæcesis, vel Officia diuina percipere, nec quis eis hæc ministrare, præterquam à Nobis deputatis, sub eadem Conciliorum, & nostra seuerissima pæna. Ideo caueat quisque, ne sub aliquo colore in aliquod incidat scandalum, periculum, vel censuram inuiolabiliter infligendam, sed in puritate sua sanctissima relinquant Virgines Deo sacratas; vt cogitet perpetuo, quæ Dei sunt.

1. Cor. 7.

DECRETA
S. CONCILII TRIDENT. AD MONIALES SPECTANTIA.

Vna cum Constitutionibus Pij Quinti, & Gregorij Decimitertij Summorum Pontificum ad idem pertinentibus.

Ex Seff. 25. De Regularibus, & Monialibus c. 5.

B*ONIFACII Octaui Constitutionem, quæ incipit, Periculoso, renouans sancta Synodus, vniuersis Episcopis sub obtestatione diuini iudicij, & intermi- natione maledictionis æternæ, præcipit vt in omnibus Monasterijs sibi subie- ctis, ordinaria, in alijs vero Sedis Apost. auctoritate clausurā Sanctimonialiũ, vbi violata fuerit, diligenter restitui, & vbi inuiolata est, con seruari maxime procurent: inobedientes, atq; contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliasq; pœnas, quaecunque appella tione postposita, cōpescentes, inuocato etiā ad hoc, si opus fue rit, auxilio brachij sæcularis. Quod auxiliũ vt præbeatur, om nes Christianos Principes hortatur sancta Synodus, & sub ex communicationis pœna, ipso facto incurrenda, omnibus Ma gistratibus Sæcularibus iniungit. Nemini autem Sanctimo- nialium liceat, post professionem exire à Monasterio, etiam ad breue tempus, quocunque prætextu, nisi ex aliqua legiti- ma causa, ab Episcopo approbanda, indultis quibuscunque & priuilegijs non obstantibus. Ingredi autem intra septa Monasterij nemini liceat, cuiuscunque generis, aut condi- tionis, sexus, vel ætatis fuerint sine Episcopi, vel superio- ris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœ-*

na ipso

na ipso facto incurrenda. Dare autem tantum Episcopus, vel superior licentiam debet in casibus necessarijs, neque alius vllo modo possit, etiam vigore cuiuscunque facultatis vel indulti hactenus concessi, vel in posterum concedendi. Et quia Monasteria Sanctimonialium extra mœnia vrbis, vel oppidi constituta, malorum hominum prædæ, & alijs facinoribus sine vlla sæpe custodia sunt exposita, curent Episcopi, & alij superiores (si ita videbitur expedire) vt Sanctimoniales ex eis ad noua, vel antiqua Monasteria intra vrbes vel oppida frequentia reducantur; inuocato etiam auxilio, si opus fuerit, brachij sæcularis. Impedientes verò, vel non obedientes per Censuras Ecclesiasticas parere compellant.

Cap. VII. Eiusdem Seff.

Abbatissa, & Priorissa, & quocunque alio nomine præfecta, vel præposita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Quòd si his qualitatibus non reperiatur in eodem Monasterio, ex alio eiusdem Ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præest, videatur, ex ijs, quæ in eodem Monasterio annum trigesimum excesserint, & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, Episcopo, vel Superiore consentiente, eligatur. Duobus vero Monasterijs nulla præficiatur. Et, si qua duo, vel plura quocunque modo obtinet, cogatur vno excepto, intra sex Menses cætera resignare. Post id vero tempus nisi resignauerit, omnia ipso iure vacent. Is vero, qui electioni præest, Episcopus siue alius Superior claustra Monasterij non ingrediatur, sed ante Cancellorum fenestellam vota singularum audiat, vel accipiat. In reliquis seruentur singulorum Ordinum, vel Monasteriorum constitutiones.

Cap. IX. Eiusdem Seff.

Monasteria Sanctimonialium sanctæ sedi Apostolicæ immediate subiecta, etiam sub nomine Capitulorum sancti Petri, vel sancti Ioannis, vel alias quomodocunque nuncupentur, ab Episcopis tanquam dictæ Sedis delegati, gubern en-

bernentur, non obstantibus quibuscunque. Quæ vero à Deputatis in Capitulis generalibus, vel ab alijs Regularibus reguntur, sub eorum cura, & custodia relinquantur.

Cap. X. Eiusdem Seff.

ATtendant diligenter Episcopi, & cæteri Superiores Monasteriorum Sanctimonialium, vt in Constitutionibus earum admoneantur Sanctimoniales, vt saltem semel singulis Mensibus confessionem peccatorum faciant, & sacrosanctam Eucharistiam suscipiant, vt eo se salutari præsidio muniant ad omnes oppugnationes Dæmonis fortiter superandas. Præter ordinarium autem Confessorē alius extraordinarius ab Episcopo, & alijs Superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omniū Confessiones audire debeat. Quod verò sanctissimum Christi corpus intra chorum, vel septa monasterij, & non in publica Ecclesia conseruetur, probibet sancta Synodus, non obstante quocunque indulto, aut priuilegio.

PII V. PONT. MAX. CONSTITVTIO.

De Clausura Monialium cuiuscunque Ordinis, & Religionis.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

CIRCA pastoralis officij nobis, meritis licet imparibus, desuper commissi curam, quantum nobis ex alto permittitur inuigilantes, ad ea per quæ singulis erroribus, & excessibus obuiatur, ac personis quibuslibet, præsertim feminei sexus virginitatē suam altissimo vouentibus, sub Religionis iugo Christi Saluatori in castitatis holocausto famulari affectantibus, semita iustitiæ & honestatis declinantibus, ne quidquam in eis reperiatur incongruum, quod in regularis ponat honestatis gloria maculam, & diuinam merito possit offendere maiestatem, opportune succurritur, libenter intendimus, ac in his nostræ vigilantiæ partes propensius impartimur, prout id in Domino salubriter expedire conspicimus. Hac igitur perpetuo valitura constitutione fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit, Periculoso, & decretis Concilij Tridentini super clausura Monialium æditis, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, atque perpetuo decernimus, vniuersas, & singulas Moniales præsentes atque futuras cuiuscunque religionis, ordinis, vel militiarum etiam Hierosolymitan. sint, quæ vel iam receptæ sint, vel in posterum in quibusvis Monasterijs siue domibus recipientur, & tacitè, vel expresse religionem professæ etiam si conuersæ, aut quocunque alio nomine appellentur, etiam si ex institutis, vel fundationibus earum regulæ ad clausuram non teneantur, nec vnquam in earum Monasterijs, seu domibus etiam ab immemorabili tempore, ea seruata non fuerit, sub perpetua in suis monasterijs, seu domibus debere de

re de cetero permanere clausura, iuxta formam dictæ constitutionis fel. rec. Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri quæ incipit, Periculoso, in sacro Concilio Tridentino approbatam, & innouatam, quam nos auctoritate præfata etiam approbamus, & innouamus, in omnibus, & per omnia, ac illam districtè obseruari mandamus. Quod si aliquæ Moniales forsan reperiantur. quæ consuetudine etiam immemorabili, aut instituto, vel fundatione regulæ suæ fretæ, animo obstinato huic clausuræ resistant. aut quoquomodo reluctentur, Ordinarij vna cum superioribus earum, omnibus iuris, & facti remedijs compellant easdem tanquam rebelles, & incorrigibiles ad præcise subeundum dictam clausuram, & perpetuo obseruandum. Mulieres quoque, quæ tertiariæ, seu de pœnitentia dicuntur cuiuscunque fuerint ordinis in congregatione viuentes, si & ipsæ professæ fuerint, ita vt solemne votum emiserint, ad clausuram præcise, vt præmittitur, & ipsæ teneantur: quod si votum solemne non emiserint, Ordinarij vna cum superioribus earum hortentur, & persuadere studeant, vt illud emittant, & profiteantur, ac post emissionẽ & professionem eidem clausuræ subijciant se: quod si recusauerint, & aliquæ ex eis inuentæ fuerint scandalose viuere, seuerissime puniantur. Cæteris autem omnibus sic absque emissione professionis, & clausura viuere omnino volentibus interdicimus, & perpetuo prohibemus, ne in futurum vllam aliam prorsus in suum ordinem, religionem, congregationemve recipiant. Quod si contra huiusmodi hanc nostram prohibitionem, & decretum aliquas receperint, eas ad sic viuendum omnino inhabiles reddimus, ac illarum quaslibet professiones, & receptiones irritas decernimus, & nullas, prout etiam præsenti decreto irritas facimus, & annullamus. Porro ne Moniales, vel Tertiariæ prædictæ propter hanc clausuram detrimentum, aut incommodum aliquod in earum necessitatibus, maxime in pertinentibus ad illarum victum patiantur, sed vt eis opportune consulatur, auctoritate Apostolica præfata statuimus, decernimus præcipimus, atque mandamus Ordinarijs, & Superioribus earum, vt curent colligi fidelium eleemosinas per conuersas, quæ non sint professæ, vel si professæ fuerint, sint tamen ætatis annorum quadraginta, & in domibus contiguis, extra tamen Monasterium, degant, & non ingrediantur

tur

tur clausuram aliarum Monialium nisi in casibus ex earum constitutionibus permissis, & de earum domibus exire non possint pro huiusmodi eleemosynis colligendis, nisi de licentia Ordinarij, vel earum Superiorum. Et de cætero nullæ alia conuersæ professæ recipi amplius etiam de consensu suorum Superiorum, vel Prælatorum possint. Quod si aduersus hanc nostram probibitionem receptæ fuerint, illarum receptio nulla, irrita, & inanis sit, provt ex nunc nullam, irritam facimus, & annullamus. Quod si prædicto modo necessitatibus Monialium, & mulierum Tertiariarū, prædictarum succurri sufficienter non poterit, mandamus ipsis Ordinarijs, & Superioribus earum, vt ipsi prouideant de alijs personis pijs, & Deo deuotis, quæ fidelium eleemosinas colligant, vel alia eo meliori, & commodiori modo quo fieri poterit etiam ex opere manuum ipsarum Monialium, & mulierum prædictarum, arbitrio Ordinariorum & Superiorum earumdem, & provt eis congruentius expedire videbitur, prouideatur, & succurratur. Et ne propter Monialium numerum excessiuum clausuræ obseruatio violetur, inhærentes etiam similiter dispositioni dictæ constitutionis Bonifacij, & Concilij Tridentini Decreto, Monialibus prædictis, & illarum Superioribus, & Ordinarijs districtè inhibendo præcipimus, & mandamus, ne plures in earum Monasterijs recipiant, & admittant, siue recipi, & admitti permittant, quam ex proprijs redditibus ipsorum Monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commode sustentari possint. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ sub obtestatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ vniuersis venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, quatenus in Ciuitatibus, & Diæcesibus proprijs præsentes nostras literas publicari faciant, ac in Monasterijs Monialium sibi ordinario iure subiectis, ijs vero quæ ad Romanam mediate vel immediate spectant Ecclesiam Sedis Apostolicæ auctoritate vna cum Superioribus eorumdem Monasteriorum clausuram (vt præmittitur) quamprimum poterint seruari procurent. Contradictores atque rebelles per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, inuocato ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Ac vt hoc tam salutare decretum facilius obseruetur, omnes

 Principes

Principes Sæculares, & alios dominos, & Magistratus temporales rogamus, requirimus, & obsecramus per viscera misericordiæ Domini nostri Iesu Christi eisdem in remissionem peccatorum iniungentes, quod in præmissis omnibus eisdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, & alijs Monialium Superioribus assistant, ac suũ fauorem, & auxilium præstent, ac impedientes pœnis etiam temporalibus afficiant, Præmissis constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam per Sedem Apostolicam approbatis, & confirmatis, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis etiam in fundatione, & institutione eisdem Monasterijs, vel domibus, & Monialibus sub quibuscunque verborum formis, & clausulis, irritantibus, & alijs Decretis quibuslibet concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro sufficienter expressis habentes, quo ad effectum validitatis nostræ constitutionis tantum, derogamus, contrarijs quibuscunque. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit sede indultum, quoad interdici, aut suspendi non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Per hoc autem in Monasterijs exemptis Ordinarij locorum quoad alia nullam sibi credant iurisdictionem, vel potestatem aliquatenus eis attributam. Volumus autem quod præsentes litteræ ad valuas basilicæ beati Petri Apostolorum Principis, & in Cancellaria nostra, ac acie Campi Floræ publicentur, & inter constitutiones xtrauagantes perpetuo valituras conscribantur. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæcumque loca deferri, volumus, & etiam declaramus, quod earum transumptis etiã impressis manu alicuius Notarij suascriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis eadem prorsus fides vbicumque adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ

nostræ approbationis, innouationis; statuti, Decreti, mandati, interdicti, prohibitionis, annullationis, præcepti, inhibitionis, requisitionis, obsecrationis, iniunctionis, derogationis, declarationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, quarto Kal. Iunij, Pontificatus nostri Anno primo.

Visa de Curia Io: Riuerius ʃʃ. *Cæs. Glorierius.*

H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini Millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, Indictione nona Mensis Iunij, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno primo, retroscriptæ literæ affixę, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum S.Petri de Vrbe, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ dimissis copijs eorumdem in retroscriptis locis affixis per nos Io: Guerardi, & Nicolaum de Matthæis Cursores.

Antonius Clerici Mag. Curs.

GREGORII XIII. P. MAX.

CONSTITVTIO.

De Clausura Monialium, & de eleemosynis eis præstandis.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

DEO sacris virginibus, quæ contemptis illecebris sæculi, diuinis se obsequijs manciparunt, æquissimum est præcipua quadam à nobis ac singulari sollicitudine prouideri; tum vt ab eis omnia, quæ sanctum ipsarum propositum impedire possent, remoueantur, tum etiam vt eis in cultu Dei caste ac religiosè permanentibus, quæ ad victum necessaria sunt, subministrentur.

Et quidem post sacri Concilij Tridentini Decretum, quo constitutio fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit, Periculoso, renouatur, prohibens ne aut ipsis Monialibus ex Monasterijs suis egredi, aut vlli cuiuscunque sexus, aut ordinis personæ ad eas ingredi liceat, & præterea vniuersis Episcopis præcipitur, vt in omnibus monasterijs sibi subiectis, in alijs vero Sedis Apostolicæ auctoritate clausuram Sanctimonialium, vbi violata diligenter restitui, vbi vero inuiolata, conseruari maxime procurent. Piæ memoriæ Pius Papa V. etiam prædecessor noster victui quoque, & necessitatibus ipsarum prospicere cupiens, cum superiora illa approbasset, atque innouasset, eademque omnia etiam in Monialibus quarumcunque militiarum, etiam Hierosolymitanæ, omnibusque alijs tacite, vel expresse religionem professis, quocunque nomine censerentur, locum habere decreuisset, ne illæ quidquam detrimenti in necessitatibus suis hac occasione paterentur, etiam præcepit locorum Ordinarijs, & superioribus earum, vt fidelium eleemosynas per conuersas non professas, vel professas quidem, sed ætatis saltem quadraginta annorum, & iampridem conuersas, quæ in domi-

in domibus contiguis, extra tamen Monasterium degerent, colligendas curarent, ita tamen vt prædictæ conuersæ neque clausuram aliarum Monialium, nisi in casibus permissis ingrederentur, nec ex illis ipsis habitationibus suis ad tales eleemosynas colligendas sine permissu Ordinariorum, *aut Superiorum suorum exire possent. Quod si ne hoc quidem sufficere videretur, idem Pius prædecessor mandauit ipsis* Ordinarijs *& Superioribus, vt negotium darent aliquibus personis pijs tales eleemosynas colligendi, aliaque arbitratu suo prospicerent, quæ ad sublcuandam Monialium inopiam expedire iudicarent.*

Cum autem, sicut accepimus, multæ Moniales, etiam quæ Tertiariæ vocantur, sub solemni Religionis *voto, perpetuaque clausura degentes, aliæque talibus literis comprehensæ, & in ipsa clausura permanentes, multis præterea ad se sustentandas necessarijs egeant, neque vsque ad hoc tempus vllo sufficienti remedio earum necessitatibus subuentum sit. Quin etiam aliæ tertiariæ circa vllum solemne hucusque votum viuant, quæ ad suas, suorumve domos neutiquam rediturææssent, sed sub solemni Religionis voto, & clausura prædictis permanerent; si earum congrue sustentationi prouideretur: nos qui illas necessarijs rebus destituti nolumus, certioresq; facti sumus in multis ciuitatibus, oppidis, villis, aut alijs locis tam in Ecclesiis, & Monasterijs, quàm hospitalibus, collegijs, confraternitatibus, & alijs locis Pijs etiam quæ à priuatis hominibus, tum Ecclesiasticis, tum Laicis multas, ac diuersas eleemosynas Christi pauperibus erogari: considerantes in eiusmodi personas, vel in primis exercendam esse charitatem, quæ voluntaria paupertate suscepta ab omni hominum commercio segregatæ Deo seruiunt, & assiduis precibus iram ipsius ob peccata conceptam, à Christiano Populo depracantur: illud quoque cogitantes, si eis ad tales eleemosynas petendas ad loca prædicta conferre se liceret, vix fore, vt prædicta Monasteria, Ecclesiæ, loca, ac personæ eis singulis non tantum saltem tribuerent, quantum singulis alijs pauperibus eodem concurrentibus solent, vniuerso illi Deo deuotarum mulierum generi de opportuna, ac sufficientis subuentionis auxilio prouidere cupientes.*

De nobis attributæ potestatis plenitudine statuimus, & ordinamus, vt omnes, & quicumque Patriarchæ, Primates, Archie-

Archiepiscopi, Episcopi, & alij Ecclesiarum Prælati, nec non Abbates, Priores, Præpositi, & alij Ecclesias Patriarchales, Primatiales, Metropolitanas, cathedrales, & alias Ecclesias necnon Monasteria, prioratus, præposituras, Canonicatus, prebendas, dignitates, personatus, administrationes, officia, cæteraque beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, sæcularia, & sancti Benedicti, sancti Augustini, Cistercienses, Cluniacensis, Præmonstratensis, Cartusiensis, Camaldulensis, Sancti Basilij, Cassinensis, alias sanctæ Iustinæ, montis Oliueti, Sancti Saluatoris, ac Lateranensis, & Cruciferorum, seu Fratrum S. Hieronymi, necnon Prædicatorum, Minorum, Minimorum, & Carmelitarum, Eremitarum eiusdem sancti Augustini, Seruorum, beatæ Mariæ, sanctæ Claræ; & & quorumcumque aliorum tam virorum, quam mulierum, etiam mendicantium ordinum, & congregationum, & militiarum regularia, etiam de iure patronatus Laicorum, etiam nobilium, Ducum, Regum, & aliorum Principum existentia in titulum, commendam, administrationem, & alias quomodocunque obtinentes, necnon Rectores, Gubernatores, Confratres, Administratores, cæterique omnes, qui ratione illorum, necnon capitulorum, conuentuum, mensarum, hospitalium etiam Laicorum, & per laicos administrari solitorum, Christifidelium confraternitatum, Scholarum, Collegiorum, ac aliorum piorum locorum quocumque nomine nuncupatorum, & in quibusuis mundi partibus consistentium, quæ singulis annis, mensibus, hebdomadis, vel diebus ex Ecclesiarum Monasteriorum, prioratuum, officiorum, dignitatum, & beneficiorum, ac congregationum, hospitalium, confraternitatum, Scholarum, collegiorum, piorum, & aliorum locorum prædictorum fructibus, redditibus, & prouentibus, pauperibus Christi aliquas eleemosynas in pane, frumento, farina, vino, edulijs, pecunia, seu alijs, ad victum vel vestitum pertinentibus, etiam ad supplicationem, & preces, & per cedulas, & bolettina, aut alias distribuere, & elargiri ab immemorabili tempore consueuerunt, aut alio quocunque iure tenentur ex dictis fructibus, redditibus, & prouentibus, & quoad hospitalia prædicta ex ijs, quæ seruata in illis actuali hospitalitate supersunt, seu supererint, necnon quæcunque personæ particulares etiam laicæ, vel vniuersitates, etiam Laicorum, quæ testamento, vltima voluntate, vel alia dispo-

*dispositione etiam inter viuos, aliquas tales eleemosynas face-
re tenentur, dimidiam partem omnium, & quarumcumque
eleemosynarum, & largitionum huiusmodi quocumque no-
mine nuncupatarum, quocumque tempore, & modo distri-
buit solitarum, etiam si speciali nota digna, & secundum pias
defunctorum, aut aliorum voluntates sub certa forma dd cis in
testamento, vel alia quacumque dispositione distribuenda
sint, (dummodo non in certas personas, nec ad certos vsus
pios alios quam victus, & alimenta pauperum distribuan-
tur) quibuslibet prædictarum Monialium Tertiariarum sub
solemni religionis voto & perpetua claasura de cetero viuen-
tibus, & in terris & locis, quorum pauperibus huiusmodi elee-
mosynæ distribuuntur, consistentibus vere, realiter, & cum
effectu, & absque vlla eleemosynarum & largitionum huius-
modi petitione, exactione, & conquisitione, aut alia desuper
a nobis expectata iussione, aut mentis nostræ declaratione, ac
quibusuis mora, subterfugio, ac exceptione cessantibus, &
reiectis, dare atque distribuere omnino teneantur, & quam
dimidiam partem nos illis applicamus.*

*Vt autem præmissa omnia cum charitate, & pietate pro-
cedant, & efficaciter suum effectum sortiantur, vniuersis &
singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis & alijs loco-
rum Ordinarijs per Apostolica scripta mandamus, vt quisque
per se vel alium seu alios ad præsentium executionem in suis
ciuitatibus, & diœcesibus, procedens ab Ecclesiis, Mona-
sterijs, Hospitalibus, Confraternitatibus, Scholis, Collegijs,
locis, & ecclesiasticis ac laicis personis prædictis, etiam quo-
modolibet exemptis, dimidium eleemosynarum huiusmodi
exigant, ac proportione, vt Ordinarijs ipsis locorum æquum
esse videbitur, singulis pauperum Monialium etiam Tertia-
riarum monasterijs huiusmodi suarum ciuitatum, & diœ-
cesum, etiam si alijs superioribus subiectæ sint, cum effectu
distribuant. Nos enim eisdem locorum Ordinarijs etiam tam-
quam Apostolicæ sedis delegatis, ac cuilibet illorum tam per
se quam alium vel alios præmissa faciendi, ac etiam contradi-
ctores quoslibet & rebelles per pœnas pecuniarias eorundem
Ordinariorum, & cuiuslibet illorum arbitrio infligendas &
applicandas, ac in subsidium sententias, censuras & pœnas
ecclesiasticas aliaque opportuna iuris & facti remedia qua-
cumque appellatione postposita respectiue compescendi, auxi-*

sitiumq. brachij sæcularis inuocandi, aliaque in præmissis & circa ea necessaria & opportuna faciendi, gerendi, mandandi, & exequendi plenam & liberam facultatem, & auctoritatem concedimus, & impartimur.

Insuper, quia valde rationi consonum est, vt etiam ij, qui ipsis Monialibus etiam Tertiarijs indigentibus præfatis consanguinitate aliqua sunt coniuncti, aliquod in præmissis subsidium conferant, cum ratio sanguinis, & debitum charitatis & honestatis id postulet, singulis locorum Ordinarijs committimus, vt omni eos officio & diligentia monere, eisque persuadere studeant, parentes vero & fratres ac alios, ad quos illas, si in sæculo permansissent, dotare pertinebat, vel ad quos bona & successiones deuenerunt, & qui si eas nuptui tradidissent, multo amplius, quam ingredientibus monasterium, dedissent, vel qui si eas nunc domi retinerent, vel si ad illorum domos redirent, eas alere tenerentur, quibuscumque oijs ipsis bene visis inducant, vt Monialibus etiam tertiarijs prædictis iuxta eorum facultates charitatiue subueniant, scituri id sibi etiam ad animarum salutem plurimum profuturum.

Cæterum quod attinet ad Conuersas professas, quas prædictus Pius prædecessor per prædictas litteras sub certis conditionibus ibi contentis permisit posse manere extra monasteria pro colligendis eleemosynis, eisdem locorum Ordinarijs iniungimus, vt quibus monasterijs prædictarum monialium quotidianis laboribus computatis, supradicta vel alia qualibet ratione de sufficienti subuentione, sustentatione prouisum esse cognouerint, easdem Conuersas sub eadem clausura cum alijs Monialibus reducant, neque a suis monasterijs amplius exire permittant: Conuersas vero non professas, & profiteri nolentes dimisso habitu domum remittant, neque alias in futurum, nisi professionem suo tempore emissuras, atque sub perpetua clausura mansuras in monasteria huiusmodi recipi permittatur. Quod autem idem Pius prædecessor statuit de cetero nullas alias Conuersas professas recipi amplius etiam de consensu suorum Superiorum posse, ita esse intelligendum declaramus, præter illas conuersas, quæ extra monasterium in domibus contiguis degerent. Eleemosynarum vero prædictarum contributionem, & applicationem durare, & valere decernimus, ac suos effectus ad plenum sortiri debere, donec

numerus

numerus Monialium etiam Tertiariarum huiusmodi (quem per ipsos locorum Ordinarios etiam in monasterijs ab eorum cura, & regimine quemodocunque exemptis, cum illarum Superiorum interuentu stabiliri, & ordinari, neque supra illum numerum alias recipi posse, etiam de consensu Superiorum suorum, volumus, & mandamus) ita imminutus fuerit, vt reliquæ Moniales & Tertiariæ ex proprijs redditibus monasteriorum ipsorum, vel consuetis eleemosynis se commode sustentare queant, super quo eorundem Ordinariorum conscientiam oneramus: ita tamen, vt decedentibus singulis ex tribus earundem Monialium partibus; tertia quoque earundem eleemosynarum partis distributio, & sic successiue in totum extinguatur, atque in pristinum statum sub debitis aut solitis oneribus reuertantur, & remaneant. Declaramus præterea nullis Monialibus etiam Tertiarijs licere habere ostium, per quod ex monasterio introiri possit ipsarum Monialium Ecclesiam exteriorem, in quam sæcularibus ad Missas & diuina officia patere solet accessus, sed omnino muro obstruendum: neque itidem licere Monialibus etiam Tertiarijs egredi a ianua monasterij, quæ est pro clausura ipsius monasterij etiam ad claudendum aliam vlteriorem ianuam, quæ patere solet aditus sæcularibus venientibus vel ad rotam, vel crates, seu loca colloquijs destinata, quæ vulgo Parlatoria vocantur; vel ad pulsandũ ipsam ianuã clausuræ: quæ loca, cum saltẽ pro causis prædictis patere soleat sæcularibus, extra clausuram censeri debent, etiam quo tempore clausa sunt. Insuper quoscumque Dominos, & magistratus temporales in Domino hortamur, monemus, & requirimus, vt ad omnem ipsorũ Ordinariorum, aut alicuius ipsorum petitionem, vel simplicem requisitionem illis in præmissis assistentes omnem opportunum fauorem, & auxilium præstent, & exhibeant. Ipsis denique Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum ordinarijs præcipimus & mandamus, vt has præsentes nostras literas (quarum transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis & sigillo personæ in Dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eandem vbique fidem in iudicio & extra adhiberi debere volumus, quæ ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ) singuli in sua ciuitate & diœcesi publicent, ac publicari, easq. iuxta earum continentiam, & tenorem vna cum præ-

dictis ac alijs prædicti Pij V. & aliorum prædecessor. nostrorum litteris, & constitutionibus, & iussionibus pro integra clausuræ instauratione, custodia, & firmitate editis inuiolabiliter obseruent, & obseruari faciant. Non obstantibus testatorum, & aliorum voluntatibus, ac fundationibus, & Bonifacij prædicti de una, & Concilij generalis de duabus non tamen tribus dietis, ac quibusuis alijs Apostolicis, necnon in prouincialibus & synodalibus concilijs editis specialibus vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusuis ecclesiarum, monasteriorum & illorum ordinum, hospitalium, militiarum, confraternitatum, collegiorum, & aliorum piorum locorum prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus priuilegijs quoque, indultis, exemptionibus, libertatibus, gratijs & litteris Apostolicis ecclesiis, monasterijs, & ordinibus, hospitalibus, confraternitatibus, collegijs, & pijs locis, ac eorum superioribus, & personis sub quibuscunque tenoribus, & formis ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusq. & alijs decretis in genere vel in specie, ac alias quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & pluries innouatis, etiam si in eis caueatur expresse quod illis nisi sub certa inibi expressa forma, aut alias derogari non possit: quibus omnibus & singulis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quauis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro plene & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus contrarijs quibuscunque, aut si supra dictis vel quibusuis alijs ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ordinationis, statuti, applicationis, concessionis, impartitionis, commissionis, iniunctionis declarationum, decreti, voluntatis, onerationis, hortationis, monitionis, requisitionis,

præcepti,

præcepti, mandatorum, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, Tertio Kalendas Ianuarij, Pontificatus nostri Anno Primo.

M. Datarius. ***Cæ. Glorierius.***

A. de Alexis.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

Anno a Natiuitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo tertio, Indictione prima, die vero vigesima prima mensis Ianuarij, Pontificatus sanctissimi in Christo patris & D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno Primo, Retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in valuis Principis Apostolorum de Vrbe, sancti Ioannis Lateranensis, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, vt moris est per nos Scipionem de Octauianis, & Alexandrum Astancollum Cursores Apostolicos.

Petrus Sprengerius Magister Cursorum.

DE BONIS ECCLESIÆ, ET EORVM *administratoribus, vsurpationibus, atque Locorum Piorum Possessionibus.*

Caput Nonum.

Psalm. 82.

DISPERIERVNT in Endor, facti sunt, vt stercus terræ; Qui dixerunt hæreditate possideamus sanctuarium Dei, Deus meus pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti.

Hinc patet, quanta vigilantia vti debeant Ecclesiæ administratores in bonorum Ecclesiæ iuribus defendendis, conseruandis, augendis, non quidem amore proprio, aut interesse lucri, vel auaritiæ ingluuie, sed Zelo Charitatis inducti.

12. q. c. 1.

Clericus igitur quisque beneficia obtinens Ecclesiastica diligens sit in bonis Ecclesiæ curandis, tam mobilibus quam immobilibus, & se mouentibus existentibus, nec non & quisque sæcularis, vel regularis benefitij, vel item Hospitalium, aut Pietatis montium custodes ex Concilio Tridentino contra vsurpantes, ac bona prædicta dilapidantes quomodolibet nominata, sub Anathemate declaratos ad prędictorum bonorum conseruationem summopere inuigilent.

Sess. 22. de c. 11.

Sic curent, ne locationes prædictorum bonorum fiant ad longum tempus, vel ob præsentatam pecuniam, vel ad tertiam Generationem, vel in perpetuum, sine consensu sedis Apostolicæ, & Sacrorum Canonum expressa dispensatione, vel Ordinarij pro Diæcesi consuetudine, nec sine euidenti Ecclesię vtilitate, vel sine eiusdem rei locatæ melioratione, sub pęnis

Sess. 25. decr. de ref. c. 11.

Sess. 24. c. 11.

pęnis grauissimis, & alijs à nobis infligendis. 12. q. 2. Sup.

Omnis Collegiata nostræ Diæcesis Ecclesia, necnon & Cathedralis cum omnibus beneficiatis, & Hospitalium Montis Pietatis, & omnium piorum locorum, à promulgatione huius nostræ Synodus, infra duos Menses, atque hi qui beneficia, aut locorum piorum administrationem assequentur, Inuentarium per Notarium publicum omnium, & singulorum bonorum Mobilium, Immobilium, & se mouentium, iurium, terminorum, censuum, prouentuum quomodocunque ad Ecclesiastica, & loca pia spectantium confici procurent, atque in libro proprio inscribi faciant, ad nosque copiam eorundem autenticam cum sigillo Notarij fideliter transmittant, vt in Archiuio Curiæ nostræ perpetuo custodiatur, atque id sub pæna priuationis fructuum beneficiorum vnius anni.

Mandamus præterea omnibus Canonicis, & Collegiatis, Prioribus, Parochis, Archipræsbiteris, & quibuscunque beneficiatis, infra duos menses, vt supra, notitiam fidelem nobis afferre de quibusuis bonorum Ecclesiasticorum ad longum tempus contractibus, vel alijs pactis ab Ecclesia alienatis, & quomodo, vt detecta aliquorum negligentia, fraude, vel Auaritia, huiusmodi contractus ex Concilio Tridentino penitus tanquam irritos, & nullos rescindamus, est enim per sæpè in grauissimum Ecclesiarum præiudicium, ac detrimentum, præter salutis propriæ periculum; Huic Edicto volumus etiam subijci Hospitalium Rectores, & Societatum bona Ecclesiastica posidentes, sub pæna seuerissima à nobis arbitranda, Sess. 25. c. 11.

Ecclesiasticorum Bonorum infra idem spatium veram, ac fidelem notitiam Curiæ nostræ afferre debeant, Itidem & bonorum vsurpatorum, confinium; idq. in libro autẽtico pro perpetua eorundem bonorũ custodia.

Quo-

Quoniam vero experientia cognouimus bona multa Ecclesiæ occupata, vsurpata, atque penitus ex defectu scripturarum dilapidata, hinc est quod sub eodem spatio præcipimus omnibus, & singulis Ecclesię bona administrantibus, vt quascunque scripturas tempores perpetuas in vnum redigant Inuentarium in eodem libro bonorum Ecclesiasticorum magno, idque districtè præcipimus, ne iterum huiusmodi audiamus miserias.

De Vita & Hon Cle. c. 1. C. ex litt. de Neg Cler. pro hib.

Et vt propria passio, præter excommunicationem, & beneficiorum priuationem, aliquos non excæcet, vel bonorum Ecclesiæ ingluuies, sancimus; sub pæna à nobis infligenda seuerissima, ne alicui ex Canonicis, vel de Capitulo, aut Diæcesis nostræ Collegiatis, vel eorum consanguineis, ac affinibus, vsque ad tertium gradum inclusiue bona, redditus, prouentus, exactiones, etiam incertas ad Ecclesias beneficiatorum etiam simplicium nostræ Diæcesis, & quomodocunque spectantes, per se, vel per interpositam personam, ne ad modicum quidem tempus conducere liceat, vel quæ de præsenti conducta tenent, vel conducunt, infra mensem à promulgatione huius Synodi liberè renuntiare teneantur, alioquin contractus iam peracti, & peragendi, ipso facto sint irriti, atque nulli, exceptis decimarum exactionibus, quę ab ijs de Capitulo, vel Collegiatis conduci possint, facultate tamen à nobis prius obtenta, sub pænis prædictis irremissibiliter infligendis.

d. Dec. c. vestra nobis.

Trid. Sess. 7. decr. de ref. c. 15. & Sess. 22. decr. de ref. c. 8.

Oeconomi omnes, vel Camerarij Cathedralis beneficiorum, atque piorum locorum Rectores cuncti elapso eorū anno administrationis habitæ infra quindecim dies debeant rationem villicationis suæ Curiæ nostræ fidelem reddere, sub maximis pænis à nobis irrogandis.

Vtque

Vtque discordia, & rixæ & rei alienæ culpæ penitus tollantur inter bona Ecclesiastica diuidenda, eidem Cathedrali, & totius nostræ Diæcesis Collegiatis mãdamus, vt Oeconomus, vel Camerarius omnes fructus & prouentus, exactiones, emolumenta, in vnam massam congreget, vel singulis annis per sortem vnanimiter prouentus, & bona singula diuidat, seruata proportione bonorum in quantitate, & qualitate, atque tempore debito cuique suam de omnibus debitam, quorumcumque sortiatur effectum, partem assignet; sic enim erunt sine altercatione primi nouissimi, & nouissimi primi, atque id sub pæna suspensionis à diuinis, & alia a Nobis grauissima transgressoribus irroganda, vel alijs locando dicta bona, vt omnes sua portione fruantur, & aliorum animæ de bonis alienis non grauentur sub eisdem pænis.

Qui Oeconomus in librum magnum fide dignum, atque fideliter, omnes supradictos redditus redigat, vt paratus sit rationem reddere de illius anni prouentu; nec alius quouis colore, aut titulo ad minimum quid de bonis Ecclesię debitis exigere, vel auferre præsumat: qui Liber ratione à Camerario huius anni reddita, ad nouum deinceps transeat, & consignetur, sub pænis prorsus hic supra intimatis.

Publicent hoc edictum de bonis Ecclesię Parochi omnes bis in anno ex Decreto Concilij Tridentini, & sæpius sub pæna à Nobis maxima imponenda, idque idiomate vulgari, vt bonorum Ecclesię vsurpatores sciant se excommunicationem incurrisse à solo Pontifice maximo tollendam, preter alias pro arbitrio nostro infligendas. Sapientem igitur audiat quisque. Seruus sapiẽs inter fratres hæreditatem diuidet.

Ad literam autem Concilij Tridentini Decretum

12. q. 4. c. 1.

Conc. Tridẽt. Sess. 22. c. 11.

Prouerb. 17.

hic subponi duximus, ne quam vel leuissimam quis præsumere audeat ignorantiam.

Decretum Conc. Tridentini de vsurpantibus bona, & iura Ecclesiastica *editum.*

Sess. 22. c. 11. SI quem Clericorum, vel Laicorum, quacunque is dignitate etiam Imperiali, aut Regali præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupauerit, vel alicuius Ecclesiæ, seu cuiusuis Sæcularis, vel Regularis beneficij: Montium pietatis, aliorumque piorum locorum iurisdictiones, bona, census, ac iura etiam fæudalia, & Emphiteotica, fructus, emolumenta, seu quascunque obuentiones quæ in ministrorum, & pauperum necessitates conuerti debent, per se, vel per alios vi, vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas Clericorum, aut Laicorum, seu quacunque arte, aut quocunque quæsito colore, in proprios vsus conuertere, illosque vsurpare præsumpserit, seu impedire, ne ab ijs, ad quos iure pertinent percipiantur, Is anathemati tam diù subiaceat, quamdiu iurisdictiones, bona, res, iura, fructus, & redditus, quos occupauerit, vel qui ad eum quomodocunque, etiam ex donatione suppositæ personæ peruenerint, Ecclesiæ, eiusque administratori, siue benefitiato integrè restituerit, ac deinde à Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. Quod si eiusdem Ecclesię Patronus fuerit, etiam iure Patronatus vltra prædictas pænas, eo ipso priuatus existat. Clericus verò, qui nefandæ fraudis, & vsurpationis huiusmodi fabricator seu consentiens fuerit, eisdem pænis subiaceat, necnon quibuscunque Beneficijs priuatus sit, & ad quæcunque alia beneficia inhabilis efficiatur, & à suorum ordinum

exe-

executione, etiam post integram satisfactionem, & absolutionem sui Ordinarij arbitrio suspendatur.

De Decimis.

DEcimas, & primitias fideliter offeres. Ex hoc apparet etiam de iure naturæ præter diuinum, decimas deberi, quia omnis operarius dignus est mercede sua. Nos igitur pro comperto habentes, miseram nostrorum Rectorum, & Parochorum inopiam, simul etiam debitorum tenacitatem, ac propriæ salutis obliuionem; hoc præsenti Decreto præcipimus quibuscunque cuiusuis gradus, aut conditionis, Ecclesiasticas Diœcesis nostræ Decimas debentibus, eas integras statuto tempore soluere, sub pæna excommunicationis, donec perfecta fuerit facta restitutio; iuxta formam Tridentini Concilij tanta mala ingemescentis.

Tob. 1.

Matth. 10.

Sess. 25. c. 12. de reform.

Hoc edictum vulgari Idiomate expositum, bis in anno, Curati omnes, in maiori Populi Ecclesiarum conuentu perlegant, ne suæ damnationis excusationem habeant ipsi Decimarum debitores, imo Confessarij ipsi non possint absoluere hos Decimas non soluentes: Ideo Decimas, & primitias non tardabis Deo offerre. Decretum sacrosancti Concilij Tridentini hic apponere placuit, vt nullus inani excusatione glorietur.

Tit. de Dec. per tot. vbi multa.

Exod. 22.

Decretum Concilij Tridentini, de his, qui Decimas non soluunt.

NOn sunt ferendi, qui varijs artibus, Decimas Ecclesijs obuenientes, subtrahere moliuntur, aut qui ab alijs soluendas, temere occupant, & in rem suam vertunt; cum Decimarum solutio, debita sit Deo, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res

Sess. 25. tit. de refor. c. 12.

alienas inuadant; Præcipit igitur sancta Synodus, omnibus cuiuscunque gradus, & conditionis sint, ad quos Decimarum solutio spectat, vt eas, ad quas de Iure tenentur in posterum Cathedrali, aut quibuscunque alijs Ecclesijs, vel personis, quibus legitimè debentur, integrè persoluant: Qui verò eas, aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine nisi plena restitutione secuta, absoluantur. Hortatur dehinc omnes, & singulos pro Christiana charitate, debitoque erga Pastores suos munere, vt de bonis sibi à Deo collatis, Episcopis, & Parochis, qui tenuioribus præsunt Ecclesijs, large subuenire, ad Dei laudem atque ad Pastorum suorum, qui pro eis inuigilant, dignitatem tuendam non grauentur.

De Legatis Pijs.

Malach. 3. Concil. Trid. Sess. 25 cap. 4. de reformat.

ACcedam ad vos in Iudicio, & ero testis velox. Sic igitur fidelis Notarius quisque voluntatum vltimarum, & piorum Legatorum rogatus, sub pæna priuationis ab Officij exercitio, & quinquaginta aureorum, non differat Ecclesiæ illi, vltra mensem post obitum Testatoris, deferre Defuncti dispositionem fidelē in Ecclesiæ fauorem. Præterea quoque antehac infra quindecim dies denunciet sub eisdem pænis ipso facto incurrendis.

Huic obligationi volumus quoque subijci Curatos omnes & Clericos Diæcesis nostræ tam Sæculares, quā Regulares, qui tanquam testes vocati, prædictis interfuerunt Legatis, addendo his Clericis suspensionem à Diuinis, si post mensem, vt assertum est, pij Testatoris voluntatem, erga loca Pia fideliter non annunciauerint.

Conc. Trident. Hæredes, qui piam Testatoris voluntatem, saltem

intra

intra tempus, à defuncto decretum non adimplebunt, vltra pœnas à Iure statutas, alias pro nostro arbitrio subituras se certo sciant.

Sess. 22. c. 8. de reform.

Tabellam omnium piorum Legatorum, & Benefactorum Ecclesiæ alicuius, Clerici omnes siue Curati, ad quos spectat, proprijs nominibus inscriptam præ oculis in Sacristia semper appensam habeant, vt de beneficio pio memores, debita persoluant & ipsi pia. Præcipuè verò cum illis conditionibus, si adsunt, & rationabiles sint, per quas pij Testatores compuncti sunt ad sui salutem, ad Dei honorem, & gloriam.

12. q. 2. Qui oblig. de con. d. 5. c. non me diocriter.

Imo librum, in quo omnia nomina horum Benefactorum inscripta sint, & cognomina, cum obligationibus Anniuersariorum, Missarum, & Officiorum diuinorum, vt statutis Mensibus, ac Annis, pium Benefactori s nullatenus fraudent affectum: Eleemosina enim data est, vt à morte liberet, & peccata purget.

Tob. 4.

De Damnis datis.

FRatres, vt quid nocetis alterutrum? Miserabilis hodierna die Ecclesiastica portio vbiq; apparet, præcipuè verò huius nostræ Diæcesis, ob molestos fructuum vsurpatores & bonorum Ecclesiasticorum dilapidatores, cui morbo (licet fere incurabilis sit) adeo dānoso, vt nostrum munus, est aliquam salutarem medicinam applicare debemus.

Actor. 7.

Bonis Ecclesiasticis à foro Sæculari prorsus destitutis, nihilq; suffragaris, pro comperto habētes, huius pręsentis Edicti tenore districtiſsimè inhibemus omnibus, & singulis cuiuscunque conditionis, status, præeminentiæ, sexus, & gradus Sæcularis, aut Clericalis, in tota nostra Diæcesi, ne sub pœna in statutis, & Capitulis Ciuitatis huius contenta, imo duplicata, præter

alias

alias ad arbitrium nostrum, maiores infligendas: nè quis audeat studiosè per se, vel per alios, mediatè, vel immediatè in quavis re Diæcesis nostræ, vt in arboribus, vitibus aridis, vel viridibus, segetibus, animalibus, atque in omnibus, & singulis Ecclesiæ bonis vbiuis locorum existentibus, vel modicissimum damnum inferre.

23 q. vlt. pessimum 14. q. q. 6. si res.

Imo absolui tales non possunt, vt in sacris Canonibus cautum est, nisi prius damno parti lęsæ restituto.

Super quibus omnibus per accusationem, quæ recipietur, à quocunque delatam, cum certa parte condemnationis ipsi accusatori delegata, & illico soluta, vel per vigilantissimam inquisitionem, aut alios modos à Iure concessos, diligenti vigilantia vtemur, vt horum animæ prędonum potius, quam virorum à grauamine rei Ecclesiasticæ liberetur, Ecclesiaque ipsa, quod suũ, ac proprium est, pacificè possideat.

Quo tamen Decretọ, Bullis, Constitut. Bannis Sanctorum Pontificum præciuuè verò S. D. N. Sixti PP. Quinti nullatenus nosmet opponere pręsumimus.

Et quia hoc est vsurpare bona Ecclesiastica, præter pænas à Nobis supradictas, & infligendas, sciant quicunque huic Decreto se opposuerint, vel damna intulerint, se à sacrosancta Tridentina Synodo, ipso Iure excommunicatos, & à Nobis trium funis ictuum pænam, ipso facto irremissibiliter incursuros, ne stulti, ea quæ sunt nociua, cupiant.

Sess. c. 11. de reform. Prouerb. 1.

De Aduocatis, Iudicibus, & Procuratoribus.

Cap. 1.

Diligite Iustitiam, qui iudicatis terram; Meminerint Causidici omnes, ab eisdem salutem, & ruinam totius vniuersi promanare: regant igitur in virga ferrea, solida ac, inflexibili ad omnem auram Populi,

3. q. 7. Infam.

Consan-

Consanguinei, Magnatis, Superioris, muneris, timoris, vel cuiusvis alterius occurrentis doli, aut accidentis non concuti, aut deflecti, tandemque vanitatum, vt in nouissimo probandum est, fallacias, easque deceptiones cordis intimo pensitare, ne cum fratribus Ioseph, olim, perpetuo clament; Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, litesque quamprimũ expedire procurent; ne pauperes, Innocentes, Pupillos, ac Viduas penitus, vt plurimum euenit, exterminent. Scimus enim quod ex manibus eorum, sanguis eorumdem districtissimè exquiretur.

c. med. & §. apud vrb. Ro.

Genes. 42.

Conc Tridēt. Sess 25. decr. de refor c. 2. ibid. Gen. 42.

DE NOTARIIS PVBLICIS.

Caput Decimum.

Ezech. 2.

ET ecce vidi librum, in quo scriptũ erat intus, & foris, lamentationes carmen, & veh. Igitur cum à primis principijs, & fontibus omne bonum, seu malum emanet, caueant Notarij publici circa testes, depositiones, examina, processus, stipulationes, pro temporum, locorum incidentibus causis, & quicquid in eorum officio, ac munere imaginari possit, se ex omni parte fideles esse, nec muneribus, personarum acceptione, vel quouis respectu, passione, aut affectione moti, in aliquod scandalum, vel modicissimæ Iustitiæ maculationem, irruere: ne à Deo tandem, & à Nobis hic tanquã falsarij, mendaces, periurij, Domestici prædones, seuerissimè (vt Cano. sacri, Conciliaque sancta, & summi Pontifices minantur,

Proqat. c. quoniam contra falsum.

mulcten-

mulctentur, præter arbitrarias seuerissimas, Nobis, pęnas reseruatas.

Conc. Trident. Sess. 22. c. x. de reform.

Officium deinceps Notarij proprium exercere nullus de creatis imposterum audeat, nisi prius infra Mensem à nostro examine purgatus, & probatus sit, nec sine nostra in scriptis ad hoc facultate obtenta, & sigillo nostro munita, sub pœna nullitatis priuilegij, & potestatis collatæ tam dantis, quam accipientis: Insuper verò vtrique in priuatione proprij officij, & quinquaginta scutorum, toties, quoties à Nobis applicandorum. Imperiti enim multi admittuntur, à quibus omnis litium ruina dimanat, atque præcipuè Piorum locorum, personarum Ecclesiasticarum ac fori pernicies Ecclesiastici.

Legata pia ab omnibus facta diligenter, ac fideliter annuncient, vt supra in Capitulo de Legatis pijs decretum est, sub pœnis ibidem infligendis; & tandem ita cuncta pertractent, vt Scriba doctus, quam fidelissimè proferat de Thesauro suo noua, & vetera.

Matth. 13.

DE FAMILIA EPISCOPI.

Caput Vndecimum.

1. Tim. 3.

SI domui suæ quis præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Igitur medicinam primo sibi applicet Prelatus necesse est, ne sui indecentis, vel (quod auferat Deus) turpis exempli scandalo, ipsemet infectus, familiam quoque mortifero inficiat veneno: Hæcque suorum immoderata carnalium affectuum deformitas in subditis affectiones imprimat scelerosas,

47. d. Sicut hi § necesse est.

vnde

vnde potius illius Babilon, quam Hierusalem esse videatur Diæcesis.

Nos igitur lachrimis corde, & oculis profusis Deum obtestamur, vt per singula momenta, gratiam suam mentibus nostris infundat, vt verbo, & exemplo vna nos cum commisso nobis Grege eidem proficiendo ad vitam perducat sempiternam; quod vt bonitas diuina prçstare facilius possit, nobiscum simul sequentes, inuiolabiliter familiola nostra seruabit Constitutiones. Sess. 2. c. vnic.

Primo ex Concilio Tridentino familia nostra non sit turpis lucri cupida, Vinosa, Impudica, Blasphema, elata, aut voluptatum carnalium, & terrenarum amatrix, non discors; sed ad inuicem se ipsam diligat, & moribus (si fieri potest) Angelicis dotata, semper coram omnibus elucescat.

Colore aperto, & inmoderato, nullus vestire audeat, sed vel nigro, vel alio propè nigro, colorato. Auro, argentovè minus, vestes, & habitus, nec sint contesta, vel elaborata eorum indumenta.

Missam in dies quisque pænitus audiat, cum maxima cordis, & corporis humilitate, Communionemque sacram in solemnioribus anni Festis assumat, quisque ex nostra familia, videlicet in Festo omnium Sanctorum, in Natiuitate, Resurrectione, Penthecoste, ac sanctissima Domini nostri Corporis festiuitate, nec non & in sacratissimæ, beatæq; semper Virginis Mariæ Assumptione.

Ludi à Canonibus sacris, prohibiti, prorsus à familia nostra absint, non tamen recreationis causa decentes, vel ad exercitium prohibemus conuenientes.

Ocium præcipuè fugere hortamur, & præcipimus, ne per hoc, & panis saturitate in miserias populi Dei incidat infęlicissimas.

Conuersationes cum paucis admodum extra Curiã

& nullis (si fieri possit) vel paucis, vita honesta, moribus sanctis, animi sinceritate repletis tantum admittant.

Commessationes igitur, compotationes, ac epulorum commercia penitus declinet in domo Episcopali, vel extra, ne sub specie recreationis, & loci spiritualis gulę voracitatem, ac Cauponæ indecentis amplexentur dissolutionem.

44. d. non licet & seq.

Pernoctare vltra primam noctis horam, nulli liceat Litanijs à Nobis, vel in Ecclesia Cathedrali statutis diebus, vel in Sacello nostro priuato à Nobis perlectis deuotè, ac piè Dei misericordiam pro omnibus nobis interpellantes, assistant.

Ieiunia, vltra Ecclesiastica, per annum obseruanda, & ipsi obseruent.

Charitas in alterutrū exercitata perpetuo illucescat tum in corporis egestatibus, tum in animi necessitatibus, idque per opera misericordiæ, tum corporalia, tum spiritualia hortamur, & in Domino præcipimus.

Quæ omnia & singula si ex nostra familia, minimè obseruare quis præsumat, de nostra familia illicò, & deinceps non esse, pro certo sciat, præter quam in excessibus cum scandalo patratis. Tunc enim quisque, vt æquum est, subibit delicto proportionatas pœnas & ipse debitas: quod vt aufugiat, sententiam sancti Prophetæ, semper cum opere in corde, & manibus conseruet; Seruiamus illi in sanctitate omnibus diebus vitæ nostræ.

Luc. 1.

De

Caput Duodecimum.

QVANTVM se glorificauit, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum. At quid erit scelera patrare, & in indignissimis facinoribus immisceri, ac radicari? Sciat quisque, quod leue, & momẽtaneum est, contra legem Dei, & Christi Domini patratum, debere pondere damnationis æternæ mensurari; sicut, quod leue est, de minimis Christiani operibus sanctis, vt de calice aquæ frigidæ, æternæ gloriæ pondere frui debere, atque hoc non quidem meritis nostris, nihil enim ex nobis sufficientes sumus; sed meritis Christi Domini infinitis innixi, sicut & eisdem spretis, neglectis, atque iniuria affectis, infinito tempore, ac modo, & præmio, vel tormento afficiendi sumus. Igitur iure merito, quantum se glorificauit in delicijs; consulat ideo quisquis sibi.

Apoc. 18. 2. Cor. 4. Matth. 10. 2. Cor. 3.

Pœnitentias infligant Parochi, & Curati, atque Pœnitentiarius ita salutares, & delictis proportionatas, maioribus, atque enormibus peccatis, præcipuè infrascriptis, vt vel in carne castigati, vel in facultatibus grauati, vel in ieiunijs, & disciplinis afflicti, atque statim ad pristinum non redeant vomitum; quod si ter, vel quater in eo perstiterint flagitio, ac scandalo, de cætero nec Pœnitentiarius absoluat, sed ad nos transmittat, vt pudore confusi, ad Dei gloriam, ad eorum salutem, semel ac tandem resipiscant.

11. q. 1. Siquis 23. q. 5. circa fin & excom municat. 26. q. 7. alligant.

Curati, & Clerici omnes Diæcesis nostræ quibus aliquo titulo animarum cura interest, statim ac aliquem

publicum, seu scandalosum peccatorem, ex infrascriptis agnouerint, ipsum sub pœna suspensionis à Diuinis, & quinquaginta aureorum, Nobis denunciari districtissimè mandamus: Vt illius saluti consulentes totam curemus Diœcesim, vt sana facta, iam nolit amplius peccare, ne deterius illi contingat.

Ioan. 5.

De Peccatoribus in particulari, & præcipuè publicis cum eorum pœnis, & eorum Complicibus.

De Adulteris, & Concubinarijs, & peccatis contra naturam.

Eccles. 7. Vincula sunt manus eius, sagena cor illius. Nouerint isti ex Concilio Tridentino excommunicationem maiorem, tum alias grauissimas, præter Pij V. Constitutionem, & adhuc grauiores esse incursuros pœnas, idque promiscuè, tum per censuras spirituales, tum pecuniarias, tum facultatis, atque bonorum priuatione, tum personæ maximè afflictione, & dedecore.

Sess. 24. c. 8. de ref. & 25. c. 14.
Pius v. const. 5. prater Cã. rigidiss.

Nec ab his sacrosanctis Decretis cuiuscunque sexus sit Ordinis, Status, Conditionis, Laicus, aut Clericus Sæcularis, Regularis sit, excipi potest.

Sixtus v. cõs. Quæ postremo omnia innouata, & confirmata, imo adaucta sunt à Sixto Quinto Pontifice Maximo.

27. q. 1. c. quis Episc. & 17. q. 1. c. final. Q-is Episc. In visceribus igitur Iesu Christi, precamnr omnes, cautè, castè, & si fieri potest Angelicè viuere, ne in tantas, aliquis, ob fœdissimum, ac momentaneum carnis delectamentum infinitas omnium, propemodum inimaginabilium, incurrat miserias.

81. d. Cleric. Nullus Diæcesis nostræ tam Clericus, quam Sęcularis

laris; sub quouis prætextu, aut colore, & sub pænis sacrorum Canonum, statim inferendis cohabitare, vel conuersari audeat cum aliqua muliere vitæ inhonestæ, suspectæ, & scandalosæ; suspecta autem etiam habebitur, licet modò actu non esset, vel pro senili, vel alio quouis accidenti, dummodo alias huiusmodi fuerit, & si in hoc aliquis se detentum reperiat, quisquis sit infra quindecim dies, à publicatione huius Synodi, huiusmodi mulieris conuersationes, à sacris Canonibus prohibitas, omnino à se ipso propellat, præter supradictas pænas, sub suspensione à Diuinis, cum alijs à Nobis arbitrandis, illicò incurrendis.

32.d. Interd. & c seq & alibi sæpius.

Mæretrices ipsę rigidissimis à Nobis pænis infligendæ, præter fustigationem, exilium, & bonorum confiscationem; modestæ sint in via, præcipuè in Ecclesijs, in Aduentu verò, Vigilijs, in Quadragesima continentes viuant, & modestissimæ, hortamur in Domino, est enim tempus macerationis; non autem libidinis carnis; idcirco, & à nobis in hoc pro qualitate delicti proportionatas expectent punitiones.

Partum à quauis muliere adultera, vel mæretrice editum a se dimittere nullo pacto pręsumat absque nostra licentia, contraueniens enim, cum omnibus complicibus sciat, & fustigationem incurrere & exilium.

Clem. 7. constitut. 13.

In locis publicis, vt Tabernis, vel cauponis, nulli mulieri pernoctare omnino liceat sub pænis hic supra inflictis, imo per diem, nec bacchanalia, aut inhonestos vnire tumultus.

Lænones autem, se easdem omnino pænas incurrere sciant, sine vlla moderationis remissione.

De

Pius v. const. 5. praeter Cã. seuer. & constitut. 70.

PRæter pænas à sacris Canonibus, & Concilijs in hoc nefandum vitium irrogatas, non ignorent omnes, quisquis sit, nullo exempto, à primo ad minimum, in nostra Diæcesi degentes, & morantes, districtissimam Pij Papæ Quinti Bullam cum seuerissimis, vndequaque pænis animæ, corporis, bonorum, ac personę afflictiuis, & priuatiuis, se ipsos illicò & irremissibiliter incursuros, præter alia æterna supplicia; à teste enim, qui nullatenus mentiri potest, scriptum est, Neque Adulteri, neque masculorum concubitores Regnum Dei possidebunt.

Gen. 19. & 15 q. 5. c. mulier

1. Cor. 6.

De *Raptoribus, & Stupris, ac Incestibus.*

CAueant isti omnes in sacrosanctas sacrorum Canonum seuerissimas incidant sanctiones, vbi nulla ferè tantorum scelerum fit remissio præter Ciuilium atrocissimas punitiones.

36. q. c. eos, & c. rap. & c. c. si quis vir. C. super eo de Incest. & c. 1. eodem 5. Vnic. de raptor. virg. & l. rapt. c. d. Episc. & Cl.

De *Lenonum impudicorum, & eorum complicum pænis Cõst. 47. à Paulo Quarto fulminatam hic quoque apponere visum est nobis, vt horum conditio non ignoretur.*

EX ordine, & de mandato Reuerendissimi Domini Saluatoris Pacini huius almę Vrbis Gubernatoris, per præsens bannimentum, & proclama omnibus denunciatur, & intimatur; quod sanctissimus D. N. D. Paulus diuina prouidentia Papa Quartus volens sceleribus, quę ex vitio, & luxuria carnis in dicta Vrbe in dies patrantur, quantum cum Deo potest, occurrere,

viuæ

viuæ vocis oraculo statuit, & decreuit, ac sua irrefraga bili Constitutione sanciuit, quod omnes, & singulæ vtriusque sexus personæ, quæ aliquam puellam, aut aliquam iuuenculam ex eius patria, aut alio loco, in quo tunc honestè viueret, vestes, aut alia id genus bona eis pollicendo, seu quauis corruptione seduxerint, & ad ipsam vrbem adduxerint, easque ad aliquem puerum in eadem Vrbe quomodolibet prostituerint, tanquam omni Priuilegio cuiuscunque ordinis, vel dignitatis (iuxta constitutionem fel. recordati Innocentij Papæ Quarti Prædecessoris sui, quę incipit, Pro humani generis) priuati, & nudati, ac per leges sæculares ipso iure, & facti condemnati per Ordinarios Sanctitatis suæ Iudices Sæculares, nulla ab eadem Sanctitate sua desuper expectata declaratione, seu mentis suæ intentione, irremissibiliter hoc modo puniantur; Lenones videlicet, & lenæ circa prostitutionem masculorum versantes, & cum eis circa prostitutionem ipsam agentes, & vel consentientes, & ad necessitatem nutrientes, ac postmodum prostituentes, & lucrum ex eius prostitutione captantes, quotquot fuerint, vltimo supplicio afficiantur. Hi verò qui corrupto comite stuprum puero suaserint, aut puellam virginem super violatione eius pudicitiæ interpellauerint, seu ad hoc ei quidquam donauerint, vel prætium vt id assequerentur, dederint, aut domum ad hoc eis commodauerint, seu quidquid ad effectum præmissorum fecerint, flagitio perfecto, capitali pœna plectantur: eo autem imperfecto, in aliquam insulam deportentur, & inibi perpetuo relegentur, & qui in præmissis comites corrupti fuerint, eisdem pęnis subiaceant. In cęteris verò casibus Lenones, & lenæ huiusmodi, qui de cetero Lenocinij artem exercuerint, Fustibus per Vrbem publicè cæsi, ab Vrbe perpetuo exulare cogantur.

tur. Et qui domos suas eisdem Lænonibus, vel Lænis de cætero scienter locauerint, vel si ignoranter id fecerint, nisi post hoc eis notificatum fuerit, illos expulerint, domum, si locatam, eo ipso amittant, & ea realiter, & cum effectu priuentur, & spolientur, & insuper pænam mille aureorum auri ab eis auferendorum, & in pios vsus conuertendorum ipso facto incurrant.

Voluit quoque eadem Sanctitas sua, & præfato Gubernatori viuæ vocis oraculo mandauit, vt statutum, & decretum, ac sanctionem suam huiusmodi, quæ perinde, ac Sanctitatis suæ si sub nomine in scriptis redacta, & per eãdem Sanctitatem suam motu proprio subscripta, & signata foret, si litteræ Apostolicæ desuper sub plumbo confectæ essent, plenariam fidem facere, & eis indubiam fidem adhibere debere decreuit per publicum bannimentum, & proclama omnibus, quorum interest, denunciari, & intimari facere: decernens denunciationem, & intimationem huiusmodi eos omnes ligare, & arctare, perinde, ac si præmissa omnia eis ex parte Sanctitatis suæ, aut per litteras Apostolicas personaliter intimata, & notificata, ac de verbo ad verbum recitata fuissent, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

De Blasphemis, & Maledicis, & Periuris

Isa. 1.

RELiquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israel, alienati sunt retrorsum. Adeo, vt cum nullum sit peccatum, ex quo aliqua delectatio mẽtis, vel gustus, & sensus, non reperiatur, præter detestãdum blasphemiæ scelus, iure merito, sancti Pontifices præcipuè Leo Decimus in Concilio Lateranensi, varias, ingentesque, nomen Dei Optimi Maximi, Beatæque Mariæ, & omnium Sanctorum blasphemantibus,

aut

aut verbis obscœnis, & contumeliosis maledicentibus indixerunt, quas pœnas innouauit, & auxit Pius Papa Quintus, & inuiolabiliter obseruari mandauit, ideo caueant omnes imposterum, ne in has miserias incurrant Deum, & Sanctos inhonorando, & ipsi deinceps inexterminabiliter miserrima incurrant supplicia.

Pij v. const. 5. præter Canō. austeriss.

Imo hortatur, & præcipit ipse summus Pontifex Leo Decimus Magnatibus omnibus Principibus, & Reipublicis, vt hæc omnia diligentissimè seruari studeant.

Insuper decem annorum Indulgentiarum, si hoc fecerint, impartitur, & accusatoribus benignissimè condonat.

Ad tantum scelus euitandum, quia contrarijs contraria curantur, mandamus (vbi commodè fieri possit) in nostra Diœcesi, sanctissimi & immaculati Nominis Dei Societatem institui; vt honorato tanto sacratissimo, ac diuino nomine, perpetuisque laudibus, atque orationibus frequentato, oppositum videlicet, idest nominis Dei detestandi, ac diabolicæ maledictio penitus exterminetur; maximas enim Indulgentias summi Pontifices super huiusmodi pias Congregationes effuderunt.

Pius iv. constit. 101. Gregor. xiij. constit. 9.

Periuris quoque, qui Deum veritatis exemplar, in falsum testem, sæpissimè adducunt, etiam in Iudicio, & Tribunali publico temporali, vel Ecclesiastico, infligendas à Nobis pœnas atrocissimas pollicemur, præter sacrorum Canonum sancitas, quarum mitior erit, viginti quinque aureorum, cum fustigatione pro vice prima; secunda verò exilium à tota Diœcesi nostra, ac triremium punitio; etiam si periurium istud extraiudiciale esset, & sine alicuius detrimento, vel etiam iocosè factum.

22. q. 4. inter cætera c. med. 6. q. 1. Infam.

Ne verò temerarij audeant sine lege viuere, & ignorantiæ prætextu, suam tegere impietatem; voluimus

hic ad litteram penitus sacrosanctam Leonis Papæ X. sanctionem contrà ingratos nominis Dei, & Sanctorum blasphematores inscribi, vt sciant in quantas deuenturi sint (nisi à tanto scelere, se auerterint) miserias: cum Dæmonibus scilicet tandem in Inferno blasphemantes commanducabunt linguas suas.

Apocal. 6.

Ex Decreto à Leone Decimo Pontifice Maximo in Concilio Lateranensi edito contra blasphemos, & de Indulgentijs ijs concessis, qui eosdem arguunt, & accusant, & à Pio Papa V. renouato, & aucto. Constitut. V.

Sess. 9.

AD abolendam verò execrabilem blasphemiam, quæ in maximum diuini nominis, & Sanctorum contemptum, supra modum inualuit statuimus, & ordinamus; vt quicunque Deo palam, seu publicè maledixerit, contumeliosisque, atque obscenis verbis Dominum nostrum Iesum Christum, vel gloriosam Virginem Mariam, eius Genitricem, expressè blasphemauerit; si munus publicum, iurisditionem vè gesserit, perdat emolumenta trium mensium pro prima, & secunda vice, dicti officij: si tertio deliquerit, illo ipso priuatus existat. Si Clericus, vel Sacerdos fuerit conuictus, etiam beneficiorum, quæcunque habuerit, fructibus applicandis, vt infra, vnius anni mulctentur, & hoc sit pro prima vice, qua blasphemus ita deliquerit; pro secunda verò si ita deliquerit, & conuictus (vt præfertur) fuerit si vnicum habuerit beneficium, eo priuetur; si autem plura, quod Ordinarius maluerit, id amittere cogatur; quod si tertio eiusdem sceleris arguatur, & conuincatur, dignitatibus, & beneficijs omnibus, quæcunque habuerit, eo ipso priuatus existat, ad eaque vl-

terius retinenda inhabilis reddatur, eaque liberè impetrari, & conferri possint.

Et infra]. In foro autem conscientiæ nemo blasphemiæ reus absque grauissima pænitentia seueri Confessoris arbitrio coniuncta possit absolui.

Et infra]. Qui verò Iudices Sæculares in blasphemijs inquirendis, puniendisque diligentes, & seueri fuerint, pro qualibet vice, decem annorum indulgentiam consequentur.

Quicunque verò blasphemantem audierit, eum verbis acriter obiurgare teneatur, si citra periculum suum id fieri posse continget, eundemque deferre, vel notificare apud Iudicem Ecclesiasticum, seu Sæcularem, intra triduum debeat: quod si plures dictum blasphemantem simul audierint, & vnus pro cunctis tali fungatur officio, quos omnes in virtute sanctæ obedientiæ hortamur, & monemus in Domino, vt pro diuini nominis reuerentia, & honore, in suis Dominijs, ac terris, præmissa omnia seruari, & exactissimè exequi mandent, ac faciant, vberrimam ab ipso Deo, tam boni, ac pij operis, mercedem habituri, similemque annorũ decem indulgentiam ab Apostolica Sede consecuturi, cũ tertia parte mulctæ, qua dictus blasphemus plectetur, quoties tale scelus puniendum curauerit: quam quidem Indulgentiam, & reliquam, tertiæ mulctæ partem, accusatori, blasphemi nomen deferenti similiter concedi, & assignari volumus, alijs pænis, contra huiusmodi blasphemos per sacros Canones expressis, nihilominus in suo robore manentibus.

Deuter. 17.

NOn sit in te maleficus, aut incantator: Malefi-
ficos omnes, cuiuscunque conditionis, præ-
minentiæ, status, gradus, aut sexus, præsenti Decre-
to interdicimus, à quocunque veneficio, diuinatione,
sortilegio, superstitione, in dictis, aut scriptis, vel arte
magica execrabiliter operata, sub pœnis, vt in blasphe-
mis, alijsque maioribus, pro nostro arbitrio infli-
gendis.

Conc. Tridēt. Sess. 25. de indic. libr.

Eoque magis Sacramentis, vel sacramentalibus Ec-
clesiasticis abutendo, sub pœnis seuerissimis à Canoni-
bus præscriptis, & à Nobis alijs acerrimè, pro arbitrio,
accumulandis.

Can. hic sils rigidiss. per tot vbi de venefic. Malef.

Diuinationes igitur, medicinas, contra Inimicos se-
curitates, pro amantibus redamationes, & horum simi-
lia, ac omnes alias districtè, sub eisdem pœnis omni-
bus & singulis, vt supra, inhibemus.

Candelarum numerum præfixum ante imagines
Christi Domini, Beatæque Virginis Mariæ, ac Sancto-
rum aliorum accensarum, certorum dierum obserua-
tiones, tempora statuta, dies, horas, herbarum, Cara-
cterum, Scripturarum, Papirorum, Capillorum, actio-
num humanarum, vel brutorum, & id genus omnia
maledicta venefìcia ex maxima parte, miserrimè audi-
ta, ac manibus proprijs tacta; Nec non ante, vel sub
imaginibus prædictis, transitus, incessus, circumgira-
tiones in Ecclesia, vel extra, vel in Processionibus, in
festiuis, vel etiam ferialibus diebus, pulueris, terræ, vel
cuiusuis alterius rei proiectiones, seu ablationes, Liga-
turas, & vnico verbo, quicquid superstitionem Dæmo
nis, se in Angelum lucis transfigurantis, præsefert quo
vis modo imaginabili, vt etiam à Sacris, & Missis Can-

Trid. Sess. 22. decr. de obs. in celeb. Miss. præter Can.

2. Cor. 11. 26. per tot fere

delarum

delarum residua, ablationes, per manus Laicorum, vt horribilia nectant veneficia, & tandem quicquid, vel minimam sapit superstitionem penitus anathematizamus, & prohibemus, atque vltra seuerissimas Canonũ poenas in prædictis, vel similibus contrauenientibus, statim, & irremissibiliter sine vlla personarum distinctione, hominibus quidem tres funis ictus, mulieribus verò fustigationem, ex nunc intimamus, præter alias arbitrio nostro maiores pœnas.

sed præcipuè q. 2. Illud q. 5. ne liceat 9 vlt. admon. & c. vlt. 6. q. 1. infames & 88. quoniam non sunt. Alex. vi. constit. 12. Adr. vi. const. v.

Curati verò, in hoc negligentes, sciant statim à Nobis, præter suspensionem à Diuinis se puniendos fore; igitur admoneant subditos, imò & cogant, si opus sit, ad non perpetranda scelera supradicta, vel etiam statim nos certiores faciant, vt salutaribus possimus consulere remedijs: atque bis in anno Populos admonebunt circa hoc, scilicet, Prima Dominica Aduentus, & in die sanctissimæ Resurrectionis Domini: Ne cum malis, malos simul Dominus malè perdat.

Matth. 21.

De Vsuris, & illicitis Contractibus.

Non defecit de plateis eius vsura, & dolus; perniciem totius Reipublicę, & mundi esse illicitos contractus, tum auidissimæ pecuniæ, tum bonorum ad vsuras quomodocunque palliatas datorum, vel receptorum, sacri Canones, Scriptura ipsa sanctissima, & Patrum dicta frequentissimè, & certissimè testata sunt. Vt igitur tãtam sanguinis pauperum, pupillorum, Viduarum ingluuiem, si fieri possit, eradicemus, districtè præcipimus, ne quis sub quouis titulo, colore prætextũ, cuiusuis gradus, præeminentiæ, status, sexus, ne aliquem contractum pecuniæ, vel bonorum quorumcunque mobilium, immobilium, aut se mouentium aliqualem, vel minimam ex pacto, vel conditione re-

Psalm. 54.

ne redolentem vſuram, pænitus perpetrare audeat.

Dec. 18. c. fin. de vſur. in 6. & vbique in Tit. de vſur.

Clem. V. in Conc. Vien.

Pæna horum huiuſmodi erit, namque Contractus ipſos nullos declaramus, & contrahentes pænis à ſacris Canonibus ſtatutis, tum cenſuris, tum pecuniarijs, tum perſonalibus, ac ſepulturæ Eccleſiaſticæ infami priuatione &, alijs pro noſtro arbitrio ſeuerißimè puniendos.

Pius V. Conſt. 5.

Simoniam verò impijſſimam, nullus attentare audeat, ſub pænis à ſacris Canonibus diſtrictiſsimis, præcipuè verò à Sanctiſsimo Domino Pio Papa Quinto inflictis.

Complices, Notarios, Scribas; Teſtes aſsiſtentes, & his enormiſsimis contractibus communicantes, & intereſſentes, præter pænas ſupradictas, ſententiam excommunicationis in eos omnes ex nunc diſtricte fulminamus: Noluerunt enim memoriæ retinere ſaluberrimum Domini præceptum: Quis habitabit in ſancto Tabernaculo tuo? Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram.

Pſalm. 14.

De rixis Sæcularium cum Clericis, & Clericorum inter ſe certantium.

17. q. 4.

D. Sent. 111. c. porro & c. contingit.

ET quia ſuadente Diabolo aliqui reperiuntur impudici, vt Clericos iniuria afficere, rixas cõmouere, vel etiã percutere auſi ſunt, idcirco ſtatuimus grauiſsimas (prçter Caſus sũmo Põt. in hoc reſeruatos) pænas & pro qualitate delicti, & perſonarũ Sæcularium cõtra Clericos etiam in minoribus tantum cõſtitutos, vel inter Clericos inter ſe diſsidentes, rixoſos, iniurioſos, atque percuſſores, tum per cenſuras Eccleſiaſticas, tũ perſonales, ac corporales, tum etiam pecuniarias, atque fructuum, & beneficiorum priuatiuas pro noſtro arbitrio, vtrobique decernendos; quod pariter intelligimus

gimus de offensis à Clericis quomodocumque Laicis, ac Sæcularibus irrogatis.

Pro scientia prædictorum habenda.

Accusator, seu denuncians aliquem ex prædictis scelerum plenis peccatoribus primò à Nobis secretissimus conseruabitur, secundò tertia pecuniariæ penæ parte, in qua rei condemnabuntur, ipso facto gaudebit: tertiò apud Deum præmia acquiret, ac habebit ingentia: quartò Reos ipsos à tantis sceleribus vindicabit.

DIES, IN QVIBVS PAROCHI, ET CVRATI, & Ecclesia nostra Cathedralis cum Collegiatis Edicta in hac Synodo ex sacris Concilijs, & summis Pontificibus deprompta in suis Ecclesijs promulgare debent.

Caput Decimumtertium.

PRIMA Dominica aduentus. De residentia Clericorum, publicatio Edicti, & de Clausura Monialium.

Secunda Dominica Aduentus, & quarta Quadragesimæ. Publicatio Casuū reseruatorum summo Pontifici, & Nobis & incantationum fuga.

Secunda die Natiuitatis Domini. Bulla Pij Papæ Quinti à Medicis circa infirmos obseruanda.

Dic

Die prima Iannarij.

Decretum de Festis à cunctis in nostra Diœcesi obseruandis.

In Epiphania Domini.

Decretum Concilij Tridentini contra eos, qui matrimonia clandestina attentarint.

Dominica Septuagesimæ.

Decretum Leonis X. & Pij V. contra Blasphemos.

Dominica Quinquagesimæ.

Decretum de Clausura Monialium.

Dominica Secunda Quadragesimę.

Admonitio nostra de omnibus confitendis, & sacra Eucharistia suscipienda, pueris quidem ante quartam Dominicam Quadragesimæ, Adultis verò per totam octauam Paschæ confitendis.

Dominica Palmarum.

Indulgentiarum publicatio, quæ est in Ecclesia sanctæ Mariæ in Ponsano extra mœnia.

Dominica in Albis.

Publicatio Decreti de bonorum Ecclesiæ vsurpatoribus, & decimas non soluentibus, ex Concilio Tridentino, & incantationum fuga.

Dominica Quinta post Pascha.

Publicatio Decreti de Processionibus tribus in Litanijs Maioribus.

Dominicis à Nobis assignandis.

Publicatio sacræ Ordinationis, cum suis solemnitatibus, cæremonijs, ac requisitis.

In Natali Domini Nostri Iesu Christi.

Publicatio Quadraginta horarum in Cathedrali Ecclesia, cum Indulgentia.

In Resurrectione Domini nostri Iesu Christi.

Publicatio Quadraginta horarum in Ecclesia Sancti Nicolai.

Domi-

Dominicis singulis.

Ieiuniorum, Vigiliarum, Festorum occurrentium, dies ex precepto Ecclesiæ annũcient Curati omnes.

DE FORO, ET TRIBVNALI *Ecclesiastico, seu Vicaria, & Cancellaria.*

Caput Decimumquartum.

NOLITE iudicare secundum faciem; sed iustum iudicium iudicate; Quoniam Vicarius Episcopi est quasi eius suffraganeus, & ministerij Dei operator, idcirco quæritur in primis, vt fidelis inueniatur, cum Cancellariæ Scribis, ac cæteris huius sancti Officij Ministris, ideo formulam necesse duximus ipsi, ad rectè, & sancte regendum, præscribẽdam afferre.

Ioan. vij.

94. d. c. vlt.

Primo igitur loco, super omnes dictis, aut factis inter se dissidentes, signum charitatis effundat, vt omni in ipsis liuore, ac odio consumpto, nullus litis horror insonet, ne quasi mortiferum virus vsque ad animam penetrans, eam, ne dum corpora, enecet.

Conc. Tridet. Sess. 25.

Causas omnes absque personarum acceptatione, sine cupiditate, vel modica, nec cum aliqua, vel minima passione; sed purissima cordis, & æquitatis intentione, patienter audiat, prudenter respondeat, iustè & quam primum fieri possit expediat, ac exequatur, ne occasione controuersiarum accendantur odia, pauperes opprimantur, innocentes destruantur; Quæ si per se solum expedire difficiliter possit, ad nos delata

C. 2. de reg. Iun. & c. constitut. de procur. Paul. ij. in extr. munera.

Conc. Tridēt. Sess. 25. decr. de refor. c. x.

simul videamus, si cum Dei fauore plus possint duo componentes paternè, ad mutuam charitatem huiusmodi toto nixu tentantes.

Taxæ, seu salaria, & portiones fori Ecclesiastici, & Ministrorum eius à Nobis fabricatæ nullo prætextu, aut colore in minima parte alterentur ab ipsius fori Ministris; liceat tamen Nobis, pro qualitate temporum locorum, personarum, ac causarum eas alterare, minuere, & si acciderit, tollere.

Scripturam nullam cuiuscunque negocij, vel leuissimi sit, alicui concedat (dummodo ad forum nostrum pertineat) sine maxima animi consultatione: præcipuè vero excommunicationes, quæ adhibitis monitionibus ad aliqua reuelanda, vel recuperanda concedi solent, maxima imposterum maturitate pensentur, antequam exeant, vt in Domino intendit, & mandat sacrosancta Tridentina Synodus.

Conc. Tridēt. Sess. 25. de reform. c. 3.

Amari potius, quàm timeri ab omnibus studeat quam diligentissimè Vicarius noster cum Ministris cæteris, hoc enim exquirit charitas perfecta, licet amoris obiectum rarissimum inueniatur.

24. q. 1. Vbi Sana.

Causæ omnes ad forum nostrum attinentes quàm citissimè expediantur, ne pauperes, & suis negocijs occupati, tempus, facultates, & operam inutiliter perdāt, quod est propriè contra debitum Ecclesiastici fori rectè regulati.

Trid. ibidem c. 10.

De pænis, & condemnationibus contra Reos inflictis pecuniarijs, & iustitiæ contrauenientes, decernimus, quartam partem Vicario fore assignandam, prius tamen in manibus Depositarij nostri integra, ac totali depositione facta, idque absque alia Curiæ, aut Fori nostri concordia peracta.

Nullus Ecclesiasticus nostræ Diæcesis, quouis Clericali ordine insignitus, ad forum Sæculare audeat sese ver-

Mart. v. consil. 1. 11. q. 1.

ſe vertere, ſicut nec vllus Sæcularis; in cauſis merè Sæcularibus ad noſtrum ſubterfugere præſumat, ſub pænis arbitrio noſtro ſeueriſſimis infligendis, certum eſt enim hinc olim & ſcandala, & peſſimos effectus promanaſſe.

Nullus Iudicum & c. peruenit, & 16. q.7. filijs, & 11. q.1. ſiquis Clericus.

Extra Vicariã, ſeu Cancellariam noſtram, aut Archiuium, audeat nullus, Inſtrumenta, Proceſſus, Viſitationes, aut Actus authenticos aſportare, vel permitti aſportari, aut aliquam ſcripturam inde vſurpari, ſub pæna à Canonibus ſacris inflicta, & à Nobis maiori, irremiſſibiliter irroganda.

Reos, & carceratos pia, ac Chriſtiana charitate fraterna, cuſtodire, defendere, & de neceſſitatibus eis occurrentibus, diligentiſſimè prouideri, in Domino hortamur atque præcipimus.

86.d. non ſatis.

Idcirco ſicut pro pauperibus iuſſimus, & iam de Procuratore, ad pias cauſas prouidimus, ſic & pro carceratis prouiſionem, de Aduocato, & Procuratore à Nobis iam inſtitutam, atq; pro eorum omnium, quacũque adueniente neceſſitate, propagari, ac perpetuari, in Domino præcamur, atque mandamus, ne, vt olim audiuimus, in eorum miſerijs deſtituti, cum anima, & corpore pariter periclitentur.

Miniſtrorum Fori noſtri nullus audeat extra Ciuitatem à foro recedere nobis inſcijs, per ſpatium diei vnius ob neceſsitates perpetuo occurrentes, ſub pæna Nobis reſeruata, præter duorum, pro qualibet vice aureorum pænam, ſtatim exequendam.

De off. Vic. & c. ex parte.

Actiones ipſæ, & fori Iudicialis negocia, ita ſecreta tranſeant, vt ne ſuſurrum quidem, aut vmbram de illis quis habere poſſit.

Non præſumat, quis intra fines huius Diæceſis quomodocunque exemptus, & Magnates, ſeu Comites, & Barones, ſint Priuilegiorum colore, aut conſuetudine, matrimoniorum, ſeu criminum, Hoſpitalium, vel quo-

Conc. Trident. Seſſ.24. c.20 de reformat.

rumcumque agendo, causas agnoscere, ex Decreto Cõ-
cilij Tridentini, sed ad Episcopi iurisdictionem recur-
sum cedant legitimum.

Et quia olim tanta fuit, vt percepimus, aliquorum incuria, negligentia, propria affectio, vel quicquid sit, vt etiam causarum à summo Pontifice, foro Eccle-
siastico gratis expediendarum commissiones, circa Sa-
cramenta, & alia id genus, & actus minimè adnoten-
tur, aut scriptis demandentur, vnde causę ipsæ, vel confunduntur, vel actores, & rei distorquentur, & dila
cerantur; deinceps sub pæna excõmunicationis, Priua-
tionis officij, & alijs grauissimis pænis, nullus huiusmo
di, à Curia, ad nos delati, vel ad nos quomodocunque exhibiti actus omittantur, nec in cartulis, aut folijs, sed in libro à promulgatione, post mensem, huius Synodi, ac quotannis nouo conficiendo Actuario, legitimo, Ca
nonico, ac fideli inscribantur, ac diligentissimè, & mi-
nutissimè adnotentur, vt omnia pro opportunitate illicò inueniantur.

Idem prorsus præcipimus circa actus aliorum, cuius-
cunque sit, Citationes, & omnia ad forum spirituale spectantia, diligentissimè, pro tempore, & circunstan-
tijs fidelibus, omni ex parte, reperiantur regristata in libro eiusdem Notarij.

Ideo cauti, ac diligentes sint Vicariæ nostræ Mini-
stri, atq; fideles circa omnium causas quantumvis mini
mas, sæpe enim euenit huius defectu, maximas causas pe
rijsse, Innocentes, fraudatos, pauperes, oppressos fuisse.

Inuentarium omniũ Scripturarum fori Eccles. fidele, atq; integrũ, & omniũ fori Episcopalis Scripturarũ à pro
mulgatione huius Synodi, post Menses duos sub prædi-
ctis pænis districtissimè mandamus, Nobisq; iam confe
ctum statim demonstrari, vt ea prouisio, quã pro secura scripturarũ perpetuitate decreuimus, illicò instituatur.

Gratia

Gratia super omnia meminerint, fori nostri Ministri, erogare debere ex Concilio Tridentino, quæ circa Sacramenta, Conciones, ac pia opera spectant, ne seipsos, nosque maximè decipiant.

Con. Trident. Sess. 21. c. 1. d. reformat.

Quoniam verò aliqui adeo temerarij sunt, vt Curiæ nostrę executiones, pręcepta, literas deturbare olim ausi sunt; eorumque executiones per se, vel per alios directè, aut indirectè impedire: sciant hi omnes tanquam Ecclesiasticę libertatis violatores ipso iure pænã excommunicationis à Nobis inflictam incurrere, pręter alias seuerissimas eisdem accumulandas.

Vt in Bul. in Can. Domini

Constitutiones supradictas ad forum iudiciale spectantes, si quis eas infringere, mutare, alterare, vel non obseruãdo easdem in toto, vel in parte violarę præsumpserit, se illico officio priuatum agnoscat, vltra pænas ingentes, & aliàs, pro arbitrio nostro inferendas, toties quoties his contrauentum fuerit, certo sciat. Que omnes pænæ etiam in complicibus seuerissimè redundabunt, ac tandem Iudicium fiet eis sine misericordia.

Iac. 2.

Taxæ obseruanda in Cancellaria Episcopali circa illius Officialibus soluendas.

Mercedes, Domini Cancellarij in Causis Ciuilibus.

PRo Præcepto, Inhibitione, aut Monitorio ad instãtiam vnius, aut plurium creditorum contra vnum aut plures debitores pro eodem debito obligatos, baiochi 4. ƀ. 4.

Quando prædicta Præcepta, Inhibitiones, aut Monitoria, continerent plures creditores, seu debitores, & summas diuersas, à baiochis 4. supra soluatur bai. 1. pro quolibet nomine debitoris, seu creditoris. ƀ. 1.

Pro

Pro productione libelli, petitionis, aut reproductionis Præcepti loco petitionis soluantur. ƀ. 2.

Pro qualibet protestatione, comparitione, replicatione, instantia, aut actu soluatur. ƀ. 1.

Pro capite solidorum soluantur baiochi quinque pro quolibet scuto, vsque ad summam scutorum viginti, & ab inde supra nihil soluatur. ƀ. 5.

Pro productione cuiuscunq; Instrumenti, Scripturæ, Positionū, Articulorum, Interrogatoriorum, aut aliorum quorumcunque iurium. ƀ. 1.

Pro Copia simplici cuiuscunque scripturæ continentis rigas septem, & octo in qualibet facie pagellæ ordinariæ, & sillabas totidem pro qualibet riga, soluantur baiochi tres pro qualibet pagella. ƀ. 3.

Pro Copia publica cuiuslibet scripturæ ad rigas, & syllabas provt supra soluantur baiochi quinque pro qualibet pagella. ƀ. 5.

Pro litteris remissorialibus, & alijs quibuscunque illis similibus baiochi decem. ƀ. 10.

Pro reproductione litterarum remissorialium, & aliarum cum examinibus, & relationibus introclusis. ƀ. 2.

Pro examine testium vsq; ad capitulos septem. ƀ. 4.

Et à capitulis septem supra ƀ. vnus pro quolibet capitulo. ƀ. 1.

Pro exhibitione actorum fienda per Dominum Cancellarium ad Dominum Vicarium pro expeditione causæ. ƀ. 2.

Pro rogitu sententiæ Difinitiuę. ƀ. 5.

Pro rogitu decreti vim Difinitiuæ habente. ƀ. 2. ½

Pro rogitu depositi, iuramenti litis decisiui, & iuramenti testium examinandorum. ƀ. 2.

Pro rogitu mandati Procuræ actualis. ƀ. 2. ½

Pro rogitu possessionis captæ à Baiulo, laudi, Compromissi, deputationis Tutorum &, Curatorum. ƀ. 5.

Pro ro-

Pro rogitu Appellationis. b. 2. ½

Pro liquidatione listæ expensarum . b. 2. ½

Pro copia simplicis sententiæ. b. 5.

Pro copia publica sententiæ scutum vnum, pro quolibet centenario, dummodo non transcendat scuta duo in totum pro integra mercede cuiuscunque summæ. b. 100.

Pro copia publica Procuræ, Actoriæ, Tutelæ, Curæ, Appellationis, & Compromissi. b. 30.

Pro litteris citatorijs, & inhibitorijs. b. 10.

Pro productione Commissionis causarum. b. 2.

Pro mandatis executiuis de manutenendo, de immittendo, associando, & de arrestando, soluantur b. 2. pro quolibet scuto, dummodo non transcendant scutum vnum. b. 2. ½

Pro mandatis suspicionis fugæ, & excarcerationis. b. 5.

Pro mandatis grauatorijs. b. 5.

Pro Sequestro, aut Inhibitione, aut Mandato de euacuando. b. 4.

Pro copia Processus baiochi quinque, pro qualibet pagella scripta, modo quo supra. b. 5.

Pro registratione cuiuscunque Scripturæ, & iurium, partibus litigantibus restituendorum baiochi quinque pro qualibet pagella scripta, vt supra. b. 5.

Pro productione litterarum super Dispensationem matrimoniorum. b. 5.

Pro sententia cum fide dispensationis. b. 30.

Pro Absolutione ab excommunicatione nihil soluatur.

Pro Absolutione à suffocatione filiorum. b. 20.

Pro Legalitate in quibuscunque litteris ponenda. b. 5.

Pro col-

Pro collatione, & institutione beneficiorum. ƀ. 30.

Pro Erectione iuris patronatus, hoc est illius Instrumento, seu expeditione. ƀ. 50.

Pro Bullis, seu Instrumentis cuiuscunque beneficij collati. ƀ. 50.

Pro rogitu instrumenti Possessionis beneficiorum, ƀ. 50.

Pro registratione Priuilegiorum, Patentarum, & Extratemporum. ƀ. 20.

Pro accessu Domini Cancellarij ad aliquem locum intra Ciuitatem pro differentia visenda, testibus examinandis, aut alia causa cum rogitu desuper fiendo. ƀ. 20.

Extra Ciuitatem equum, expensas, & Iulios quinque pro qualibet die. ƀ. 50.

Taxæ mercedum Reuerendi Domini Vicarij in Causis Ciuilibus.

PRo taxatione listæ expensarum. ƀ. 3.

Pro decreto vim difinitiuæ habente, in contumaciam partis. ƀ. 5.

Pro sportulis, in sententijs Difinitiuis baiochi 2.½ pro quolibet scuto, dummodo non transcendat summã scutorum duorum. ƀ. 2.½

Pro accessu Domini Vicarij intra Ciuitatem ad locum differentiæ ad examen testium, & alia, ciuile interesse concernentia. ƀ. 30.

Extra ciuitatem, intra tamen territorium, equus, expensę. ƀ. 60.

In Diæcesi, equus, expensæ, & baiochi 100. qualibet die. ƀ. 100.

Pro decreto interponendo in Curia. ƀ. 7.½

Extra Curiam. ƀ. 15.

Pro De-

Pro Decreto erectionis iuris patronatus. ƀ. 100.

Pro collatione cuiuscunque Beneficij soluatur quarta pars eius, quod soluitur Romæ.

In causis verò Commissarijs mercedes, tàm domini Vicarij, quam Cancellarij soluantur, prout in Ciuilibus ordinarijs suprascriptis.

Taxæ mercedum domini Cancellarij in Causis Criminalibus.

ACta, Comparitionis, Protestationis, Productionis instrumentorum, Articulorum, Interrogatorium, & iurium soluantur prout in causis ciuilibus.

Copiæ Scripturarum, & Processuum soluantur prout in causis ciuilibus.

Quando in eodem processu continentur duo, vel plura nomina Reorum soluatur duplum, & non vltra.

Pro testibus examinandis ad defensam soluantur pro quolibet. ƀ. 7. ✝

Extra Curiam soluantur expensæ Cancellarij, & alia prout supra dictum est in causis Ciuilibus.

Pro testibus examinandis pro informatione Curiæ extra Ciuitatem, vel in Diæcesi, soluantur per delinquentem expensæ, equus, & alia prout supra dictum est in Ciuilibus,

Pro Inuentario fiendo extra Ciuitatem. ƀ. 30.

Extra Ciuitatem, & in Diæcesi, equus, expensæ, & alia prout dictum est in causis Ciuilibus.

Prohibentur tamen fieri Inuentaria in omnibus causis, præter quam in Capitalibus, & causa mortis.

Pro rogitu Sententiæ in causa Criminali. ƀ. 10.

Pro copia Sẽtentiæ, & Appellationis soluatur prout in Ciuilibus.

Pro caſſaturis Proceſſuum in pænis pecuniarijs. ƀ. 30

Pro caſſaturis proceſſuum in pęnis corporis afflictiuis. ƀ. 50.

Pro caſſaturis proceſſuum in pænis capitalibus depoſitionis graduum, & exilij perpetui. ƀ. 100.

Pro regiſtratione Supplicarum. ƀ. 10.

Pro rogitu fideiuſſionis de non offendendo, de ſe repreſentãdo, de ſtãdo iuri, de non diſcedẽdo, & abeundo domum, vel alia pro tuto carcere. ƀ. 5.

Pro caſſatura Fideiuſſionum. ƀ. 5.

Pro Mandato de relaxando. ƀ. 5.

Taxæ mercedum Domini Vicarij in Cauſis Criminalibus.

SPortulæ in cauſis Criminalibus pecuniarijs ſoluantur, provt in cauſis Ciuilibus.

In cauſis Criminalibus corporis afflictiuis. ƀ. 100.

In cauſis Criminalibus, Capitalibus, Depoſitionis graduum, & exilij perpetui. ƀ. 200.

Acceſſus Domini Vicarij in Ciuitate, vel extra ad examinandum Teſtes, pro informatione Curiæ, vel ad defenſam Reorum equus, expenſæ, quolibet die. ƀ. 100.

Taxæ mercedum Baiuli, & Executorum.

PRo citatione in Ciuitate ſoluantur quatrini duo pro qualibet perſona citanda. quatr. 2.

In Territorio ſoluantur pro qualibet perſona citanda. ƀ. 5.

In Diæceſi videlicet in Caſtro Lubriani, in Pleberio ſtæ Catherinæ, in Sylua, in Pleberio Villæ Vaiani, in Caſtris Sermugnani, Caſtris Perij, & Ciuitellæ ƀ. 10.

In Terra Caſtiglionis, & Caſtris Arcis Aluecıæ, Graffi-

Graffignani, & Montis Caluelli, & in Pleberijs Turris Montium, & S. Stephani. ƀ. 15.

In Castris Sipuciani, Mugnani, & Polimartij, & Terra Vitorcleani. ƀ. 20.

Pro mandatis, & copijs præsentandis in Ciuit. ƀ. 1.

Extra Ciuitatem, & in Diæcesi soluantur modo quo dictum fuit supra de citationibus.

Pro executione in Ciuitate, Territorio, in Causis pecuniarijs soluantur ƀ. 2. ½ pro quolibet scuto, dũmodo in totum non transcendant Iulios quindecim, pro quacunque magna summa. ƀ. 2. ½

In Diœcesi executiones soluantur, provt in Ciuitate solui supra mandatum est; Hoc aucto, quod soluantur viatici executorum ad instar citationum Baiuli.

Pro possessione capta soluatur merces, provt in executionibus mandatorum Ciuilium.

Pro assistentia in Inuẽtario faciendo in Ciuit. ƀ. 10.

In Territorio. ƀ. 15.

In Diœcesi seruentur Taxæ mercedum citationum, aucto Grosso vno, & non plus.

Pro mercede diurna Carceratorum pro causis Ciuilibus exigantur. ƀ. 3. ½

Pro causis Criminalibus detentorum exigantur qualibet die. ƀ. 25.

Pro capturis in Ciuitate. ƀ. 40.

In Territorio. ƀ. 80.

In Diæcesi. ƀ. 100.

De quarum taxarum intellectu, si forte dubium oriatur, stari debeat declarationi Reuerendissimi Domini Episcopi, & similiter si aliqua Iudicialia, vel extraiudicialia in Taxis præfatis non apposita occurrent, de quarum mercede altercari contingeret, stetur arbitrio Reuerendiss. supradicti Episcopi.

DE POENIS.

Caput Decimumquintum.

Hebr. 12.

QVIS est filius, quem non corripiat Pater? Iddo vltimo loco pro constitutionum nostrarum obseruatione (quod est, Dei honorem conseruare) decreuimus in genere, hinc confirmare, innouare, atque pro expressis haberi mulctas omnes, & pænas tum spirituales, tum corporales, in omnibus supradictis Constitutionibus nostris obseruandis, comminatas, nullo habito sexus, conditionis, gradus discrimine, sed inuiolabiliter omnibus, & singulis, ac si particulariter cuique edictæ, declaratæque, atque intimatæ personaliter fuissent, contumacibus, in parte, aut in toto contrauenientibus, illicò applicandæ, infligendæ, atque ad litteram sine vlla Glosæ interpretatione intelligendæ: caueant igitur imposterum delinquentes, vel his decretis contrauenientes, ne eorum temeritate aliquando à Nobis probata, fiat eis, vt fiet, iudicium sine misericordia.

Iaco. 2.

Ne autem alicui sit excusationis locus, vt antehac se met facillimè excusarunt huius Diæcesis cuncti, tam Laici, quam Clerici, quia nullam vnquam certam (inquiunt) regulam, aut morum, aut vitæ disciplinam, in vnum redactam habuimus; Idcirco Deo fauente hanc qualemcunque Synodum in vnum collegimus libellum, quem districtè mandamus singulis nostræ Diæcesis Clericis, etiam non Beneficiatis, immo locis omnibus Pijs, ac Confraternitatibus, infra quindecim dies à promulgatione harum, habere, atque apud se

perpe-

perpetuo conseruare sub pœna 25. aureorum, & alijs pro arbitrio à Nobis maioribus addendis.

Et quia noluimus ob nimiam prolixitatem singulis transgressoribus, ac delictis singulis addere pænas, hęc placuit adiungere, vt sciat quisque præter pęnas in genere Constitutionibus his nostris contrauenientibus, ac delinquentibus, inflictas, de pecunijs quantum damni pati debeant, hanc gradum seriem diligenter attendat; Primò enim leuioribus cuiuscunque sit gradus sexus, conditionis, status, ordinis nobis subiectis trãsgessoribus, ac delinquentibus contumax trium aureorum; grauibus duodecim; grauissimis vigintiquinque; scandalosis quadraginta; enormibus quinquaginta aureorum pænam incurret, firmis quoque etiam præter has semper remanentibus sacrorum Canonum, Conciliorũ, Constitutionum nostrarum olim emissarum, hacque in Synodo expressis pænis, omnibusque istis arbitrio nostro iudicandis, alterandis, ac pro ratione contrauenientium, ac delictorum interpretandis, & disponendis.

Et sicut in nostra Cathedrali Ecclesia quotannis hanc Synodum legi, ac promulgari decreuimus, sic in cunctis Parochialibus, & Collegiatis, idem fieri sub eisdem pænis præcipimus; immò persæpè populos docere de singulis ex debito Christiano aufugiendis, ne in maximas eorum negligentia incurrant miserias, in Domino hortamur, & mandamus.

Immo vnum ex his Libellis inter alios perpetuo Cathedrali nostræ, & omnibus Collegiatis clauo in pariete in Sacristia affigi, vt omnibus has Constitutiones sciendi pateat aditus, sub decem aureorum pæna mandamus.

Ne verò tantarum rigore pænarum (licet mites fortasse sint tantis diuinarum legum, ac bonorum contem

ptoribus)

ptoribus) præcipuè pecuniarum, quis nos auaritia murmurando mordeat, quæ omnium malorum est radix, sciant cuncti, sicut quascunque pęnas in pecunia olim, & hactenus a Curia nostra quomodocunque exactas, vel compositas, Ecclesiæ, fabricæ, & locis Pijs applicauimus, sic omnes mulctas Edictis nostris in hac Synodo contentas à contrauenientibus exigendas Piorum locorum, Sacristiarum, fabricarum, atque debito, ac pio affectu aliarum personarum meritis, ac operibus ipso facto fore applicandas, vt fieri debere ex sacrosancto Tridentino Concilio colligimus, atque ex nunc pro tunc applicatas, vt pro tempore à Nobis iudicabitur, omninò decernimus: sic enim experiētia duximus (flentes loquimur) magis huiusmodi temporales, ac paruas pænas, quam ingentes, easq; æternas, atq; diuinas à plerisque formidari.

Sess. 25. c. 3.

Meminerint tamen omnes in Domino, quod virga, & correctio tribuit sapientiam.

Prouerb. 29.

ACCLA-

ACCLAMATIONES BALNEOREGIENSIS *Cleri Synodo peracta Anno Dom. 1599.*

Caput Decimumsextum.

Lector.

OMNIPOTENTI Deo misericordiç fonti, & totius consolationis, ac gratiæ.

Clerus respondet.

Omnipotens sempiterne Deus misericordiæ tuæ super nos largitatem infunde, vt sanctis huius Synodi Decretis, atque Ecclesiasticæ disciplinæ obtemperantes, tibi honorem perpetuum, gratiasque in Cælis æternè referre mæreamur.

Lector.

Sanctissimo, summoque, atque optimo Pont. Clementi Papæ, ac vniuersalis Orthodoxæ Ecclesiæ pijssimo,, atque iustissimo Rectori; totius Mundi obedientia, & vniuersi orbis in Christo honor, ac regeneratio.

Clerus respondet.

Beatissimum Patrem totius Ecclesiæ Catholicæ Gubernatorem sempiterne Deus cælesti fauore prosequere, vt te largiente oues totius Mundi dispersæ in vnum fidei Christianæ sanctum ouile reducantur.

Lector.

Illustrissimis, ac Reuerendiss. in Christo Domino cũ Clementissimo Papa nostro intimis in sanctæ Ecclesiæ propagatione cooperatoribus, mentis sinceritas, animę, corporisque æterna felicitas.

Clerus respondet.

Mitissime, ac potentissime ęterne Deus super famu los

los tuos purpura decoratos, ignem tui amoris conserua, vt de tuæ gratiæ pinguissimo cælesti rore in tua perpetua benedictione augeantur.

Lector.

Illustriss. ac Reuerendiss. Cardinali huius Ciuitatis pijssimo, atque iustissimo Gubernatori fælicitas perpetua.

Clerus respondet.

Deus summe potens, cuius nutu cuncta mouentur & quiescunt, Illustrissimi, & Reuerendissimi Gubernatoris nostri, ita animi motum, & quietem tua gratia guberna, vt in tui honorem, in huius populi vtilitatem perpetuo conseruetur.

Lector.

Pastori nostro Reuerendissimo vigilantissimo ouiū sibi creditarum, sancta custodia.

Clerus respondet.

Super Antistitem nostrum pijssime Deus tuarum gratiarum munificentiam perpetuo concede, conserua, & adauge.

Lector.

Populo Balneoregiensi deuoto animorum pax, sincera fides, atque perpetua deuotio.

Clerus respondet.

Deus æternæ pacis amator, spiritum gratię tuæ super hunc populum benignus infunde, vt ore, ac animi sinceritate repletus, pacem, animorum concordiam, atque sanctitatem iugiter, & vbique conseruet æternam.

Lector:

Super Clerum Balneoregiensem æterne Deus, hæc omnia, & alia Catholicæ Ecclesiæ decreta opere complendo, intercedentibus Domini nostri Iesu Christi meritis, Beataque Virgine eius Genitrice Maria, ac Beato Bonauentura conciuę nostro, Beataque Victoria

Martyre

Martyre Patronis nostris, ac Beato Donato, & omnibus Sanctis misericordię, & gratiæ tuæ copiam infundas, vt ad cælestia regna, æternamque gloriam, quam citius euolare possit.

Clerus respondet.

Amen, Amen.

Nomina eorum, qui huic Synodo interfuerunt, & Cognomina, nec non, & dignitates omnes, qui sua manu propria præsentem subscripserunt Synodum.

EGo Carolus Troctus Ferrarienſis Epiſcopus Balneoregienſis.

Ego Pompeius Blancus Caſtilion. I.V.D. Archipresbiter Eccleſię Cathedralis ſancti Donati manu propria ſubſcripſi.

Ego Bonauentura de Angelis Balneoreg. Canonicus Eccleſiæ prædictæ Presbiter, & Rector Eccleſiæ ſancti Bonauenturæ.

Ego Victorius Vannutius Canonicus Eccleſiæ prædictæ, & Rector Eccleſiæ S.Antonij, & presbiter.

Ego Alexander Paleariçius Canonicus Eccleſiæ prædictæ presbyter.

Ego Sebaſtianus Chriſtophorus Canonicus Eccleſię prędictæ presb.

Ego Siluanus Virdutius Canonicus Eccleſiæ prædictæ presb.

Ego Chriſtophorus Stuanus Ferrarienſis Eccleſiæ prædictæ Canonicus, & presb.

Ego Angelus Martinus prædictæ Eccleſiæ Canonicus, & presb.

Ego Pamphilus Brancatius I.V.D. & Collegiatæ, & Parochialis Eccleſiæ Sæcularis ſancti Nicolai Prior, & presbyter.

Ego Chriſtophorus Belardinus Eccleſiæ prædictæ Canonicus, & presb.

Ego Quinctus Tanus Eccleſiæ prædictæ Canonicus, & presbyter.

Ego Laurentius Belardinellus Eccleſiæ prædictæ Canonicus, & presb.

Ego

Ego Pirrus Marchiensis de Gualdo Cattano Spoletanæ Diæcesis Ecclesiæ prædictę Canonicus Subdiac.

Ego Liuius Matteius Ecclesiæ Ruralis sancti Donati in Villa Vitrioli Territorij Curatus.

Ego Augustinus Valentius Ecclesiæ Ruralis,& Curatę sancti Ioannis in Villa Mansionis Territorij Balneoregiensis Curatus.

†

†

Ego Ioannes Georgius presb. Balneoreg.& Cappellanus Ecclesiæ Castri Mugnani.

Ego Corinthius Petri Francisci Balneoreg. presb.

Ego Rosatus .... Balneoreg. presb.

Ego Pasquinus q. Marij Balneoreg. presb.

†

Ego Verdutius de Verdutijs Balneoreg. I.V.D. Subdiaconus.

Ego Petrus Fazzinus Balneoreg. Subdiaconus.

†

†

Ego Volennius Alamanus Balneoregiensis Rector Ecclesiæ Ruralis absque cura sancti Aegidij Castri Soreani Acolitus.

Ego Ioannes Diaphetus presbyter, & Prior Parochialis Collegiatæ Ecclesiæ s. Ioannis Castri Lubriani

Ego Iulianus Carapellæ presb. & Curatus Ruralis Ecclesiæ sanctę Catherinæ in Sylua Territorij Castri Lubriani.

Ego Simon Matthæius Canonicus, & presb. pręfati S. Ioannis de Castro Lubriani.

Ego Cosmus Curserius de Castro Castiglionis pres. & Canonicus Ecclesiæ præfatæ S. Ioannis, ac Rector Ecclesiæ Parochialis Castri Perij.

†

Ego Hippolitus q. Vincentij de Castro Lubriani Diaconus.

†

Ego Antonius Chirichella Amerinen. Parochialis Ecclesiæ sancti Siluestri Castri Sermugnani Prior.

Ego Hector Blancus Castilion. presb. & Curatus Ecclesiæ Ruralis sanctæ Mariæ Villæ Turris Montium.

Ego Consul Lolusa Castilionen. Archipresbyter Collegiatę, & Parochialis Ecclesiæ Sancti Ioannis Terræ Castilionis.

Ego Hortensius de Benedictis Ecclesiæ præfatæ Canonicus, & presb.

Ego Tibaldutius Moscatellus Canonicus presb. præfatę Ecclesiæ S. Ioannis.

Ego Franciscus Mecutius de Terra præfata Castilionis Diaconus, & Ecclesiæ Diuæ Mariæ de Niue extra Mænia absque cura Rector.

Ego Franciscus Lolusa Castilionensis Cappellanus Cappellaniæ Sancti Augustini Ecclesiæ S.Marię Terræ Vitorcleani Acolitus.

†

Ego Pamphilus Cœllius Vrbeuetanus presbyter, & Prior Ecclesiæ Parochialis Ecclesiæ SS. Petri, & Calisti Castri Ciuitellę.

Ego Fortunius Brunorus presb.de Castro Perij Cappellanus in Ecclesia Sancti Angeli dicti Castri.

Ego Bartholomæus Ruspinus Acolitus de Castro Perij.

Ego Petrus Matthæus Ioan: Felicis de Terra Lugnani presb.& Curatus Ecclesiæ Parochialis s.Martini Castri Graffignani.

Ego Horatius Catallus Hortanus Rector Ecclesiæ Ruralis absque cura dicti Castri Graffignani.

Ego Petrus Merlus presbyt. & Curatus Ecclesiæ Parochialis

rochialis sanctæ Mariæ Montis Caluelli.

Ego Simon q. Dominici presb.& Curatus Parochia lis Ecclesię s. Mariæ Sipucciani.

Ego Crescentius Tosius presb. Castri prædicti, & Cappellanus in Ecclesia Castri Podimartij.

†

†

Ego Ioseph Titius Mugnanen. presb. & Curatus Ecclesiæ ss. Vincentij, & Liberati Castri Mugnanensis.

Ego Sebastianus Mãfredus de Castro Valleranię Archipresb. Paroch. Ecclesię D. Mariæ Castri Podimar.

Ego Darius Spira presb. & Cappel. Eccl. prædictæ.

Ego Clodoueus Acolitus Castri præfati Podimartij

†

†

†

Ego Leonardus Viccionus presb. & Curatus Ecclesiæ præfatæ s. Mariæ Terrę Vitorcleani.

Ego Iacobus Bassius presb. & Curatus Parochialis Ecclesiæ sanctissimę Trinitatis Terræ Vitorcleani.

Ego Horatius Vgolinus presb. & Curatus Parochia lis Ecclesiæ præfatæ ss. Trinitatis Terræ Vitorcleani.

†

Ego Pater frater Lucas..... Ordinis Eremitarum sancti Augustini Sacerdos, & Curatus Ecclesię Ruralis sancti Stephani Villæ eiusdem nominis.

Ego Lazzarus Fantinus Balneoreg. sancti Pauli Castri Eluetię Curatus.

Ego Alamanus de Alamanis subscripsi manu propria tanquam Substitutus Fiscalis præsens.

Ego Ioannes Antonius Venturinus Syndicus magnificæ Communitatis Balneoregiensis fui pręsens, & ideo m anu propria subscripsi.

F I N I S.

INDEX

INDEX CAPITVM,

Et Materierum notatu dignarum, quæ in hac Synodo continentur.

A

D

Cono-

G

H

I

à sacu-

M

Duobus

INDEX.

N

INDEX.

O

Pastri-

Illa

T

Eiusdem

FINIS.

REGESTVM·

ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

AaBbCcDdEeFfGg.

Omnes sunt duerniones.



ROMAE, Apud Aloysium Zannettum. MDC.

SVPERIORVM PERMISSV.